



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

B

395

05

UC-NRLF



#B 99 155

1878 Dialectica



YE 03465

Plato


REESE LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY OF CALIFORNIA.

Received **AUG 20 1894** . 180 .

Accessions No. **56035** . *Class No.* . . .



A. Heller

DE
PLATONIS ARTE DIALECTICA.

SCRIPSIT

HERM. OLDENBERG.

C O M M E N T A T I O

IN

CERTAMINE CIVIUM GEORGIAE AUGUSTAE

DIE XI. IUNII A. MDCCCLXXIII

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

PRAEMIO REGIO ORNATA.



GOTTINGAE MDCCCLXXIII.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KARSTNER.

B395
05

56035



Cap. I. De priore artis dialectae forma.

§. 1. Plato in Phaedone (p. 99d sqq.) Socratem facit nar-
rantem, cum nec physicorum doctrina nec philosophia Anaxago-
rae sibi satis probaretur, *δεύτερον πλοῦν* ad rerum naturam cogno-
scendam se molitum esse. Nam ut eorum, qui solem deficientem
spectent, lumina obcaecentur, nisi ad imaginem solis in aqua
expressam se convertant, sic animum suum fatigatum se ab ipsis
rebus quae sub sensus cadunt investigandis ad notiones recepisse,
in quibus rerum veritatem deprehenderet. — His breviter adum-
bratur, quae sit artis dialecticae quam Plato a Socrate acceptam
tractavit, natura et origo: est enim illa secundum Platonem ars
veri inveniendi, sive, cum verum non rebus sensibus objectis sed
notionibus contineri censeat, ars notionum tractandarum. Homo
dialecticus dicitur in Politico (287a) *ὁ τῆς τῶν ὄντων λόγῳ δηλώ-
σεως εὐρετικός*: dialectica ars sola ad plenam rerum veritatem ac-
cedit, quare reliquas artes et cognoscit et gubernat (Phileb. 57 E
sq.). Cumque Socratici colloquendo inter se disputandoque quae-
stiones philosophas tractare consueverint, dialecticus dicitur *ὁ ἐρω-
τῶν καὶ ἀποκρίνεσθαι ἐπιστάμενος* (Cratyl. 390 c). De ceteris locis,
quibus Plato artem dialecticam definit, postea accuratius agetur:
nunc quae attuli sufficiant, ut statim ab initio, de qua re dispu-
tandum sit, sciatur. Si vero nonnunquam in exponendis Plato-
nis placitis tritis quoque rebus insistam, peto ut ignoscatur, nam
etiam cognita interdum, ut philosophus noster ait, repetenda sunt
τοῦ ἐξῆς ἔνεκα περαινέσθαι τὸν λόγον.

§. 2. Jam cum ex eis, quae a Socrate Phaedonis loco ci-
tato dicuntur, appareat, dialecticam artem inde nasci, quod in re-
bus sensibilibus insit inconstantia quaedam, propter quam verita-
tem sensibus contineri non possimus statuere, hoc primum expli-
candum est, quibusnam vitiis sensuum perceptio Platoni laborare

videatur: unde colligi poterit, quae officia ars dialectica, ut haec vitia sanet, debeat explere.

Sensuum igitur cognitioni (*αἰσθήσει*) subjecta sunt τὰ αἰσθητά, quae notionis unitati opposita vocantur etiam τὰ πολλά, ita ut sub diversos sensus diversa rerum sensibilibum genera cadant (Theaet. 185). Anima autem, ubi res objectas per sensus considerat, corporis vinculis constricta libere rerum veritatem cognoscere non potest: *διὰν μετὰ τοῦ σώματος ἐπιχειρῆ τι σκοπεῖν* (int. ἡ ψυχῆ), *δῆλον ὅτι τότε ἐξαπατᾶται ὑπ' αὐτοῦ* (Phaedo 65 b, cf. 79 c. — *δι' ἀμυδρῶν δργάνων* Phaedr. 250 b). Dialectica igitur, ut ad firmiter cognitionem perveniat, debet solius mentis agitatione corpore solutae contineri.

Ipsae autem res quae sensibus percipiuntur non eandem naturam retinent sed aeterno flumine moventur: quare dicuntur τὰ οὐδέποτε κατὰ ταῦτα ἔχοντα (Phaedo 79 c), τὸ γιγνόμενον καὶ ἀπολλύμενον, ὄντως δὲ οὐδέποτε ὄν (Tim. 28 a), τὰ πλανώμενα ὑπὸ γενέσεως καὶ φθορᾶς (Rep. VI, 485 b). Ipsa sidera propterea quod corpoream habent sensibilemque naturam, non eandem semper retinere legem sed inconstantiae subjecta esse judicantur (Rep. VII, 530 b, cf. Tim. 28 b). Socrates juvene Theaeteto est major, mox, ubi hic, adoleverit, minor erit; sex ossicula cum quattuor ossiculis comparata plura dicuntur esse et sescupla, cum duodecim ossiculis collata pauciora et dimidia (Theaet. 154 c. 155 b). Quae inconstantia cum ex diversitate relationum nascatur, quae inter varias res mutuae intercedunt, et ex varia ejusdem rei diverso tempore conditione, dialectica singularum rerum infinitam varietatem, quae diversis atque repugnantibus relationibus locum dat, et mutabilem statum, qui alio tempore alius fit, tollit nec res magnas, quae eadem sunt parvae, sed notionem magnitudinis, in quam parvitas non cadit, considerat.

Neque vero omnes perceptiones aequae cogitationem excitant (Rep. VII, 523 b, c): τὰ μὲν οὐ παρακαλοῦντα (int. τὴν νόησιν) ὄσα μὴ ἐκβαίνει εἰς ἐναντίαν αἰσθησιν ἅμα· τὰ δ' ἐκβαίνοντα ὡς παρακαλοῦντα τίθημι, ἐπειδὴν ἡ αἰσθησις μηδὲν μᾶλλον τοῦτο ἢ τὸ ἐναντίον δηλοῖ. Velut quam duri sentimus perceptionem eandem sentimus etiam mollis: *οὐκοῦν ἀναγκαῖον ἐν τοῖς τοιοῦτοις αὐτὴν ψυχὴν ἀπορεῖν, τί ποτε σημαίνει αὕτη ἡ αἰσθησις τὸ σκληρόν, εἴπερ τὸ αὐτὸ καὶ μαλακὸν λέγει· καὶ ἡ τοῦ κοῦφου καὶ ἡ τοῦ βαρέος, τί τὸ κοῦφον καὶ βαρὺ, εἰ τό τε βαρὺ κοῦφον καὶ τὸ κοῦφον βαρὺ ση-*

μαίνει (l. c. 524 a, b). Ejusmodi perceptiones revera sunt *ἄτοποι ἐρμηνεῖαι καὶ ἐπισκέψεως δεόμεναι*, efficiuntque ut mens ea quae per sensus confusa accipiebat, distinguat et sola cogitatione quaeratur, quid sit parvum, quid magnum, non *δρατὸν* illud, sed *νοητὸν* investigans ¹⁾.

Inter qualitates illas quarum inconstantia et confusio cogitationem suscitatur, primum locum tenent qualitates ethicae et aestheticae (liceat mihi hic et in sequentibus brevitatis causa etiam vocabula ab ipso Platone aliena adhibere, quae cur anxie vitentur, causa mihi nulla videtur esse). Ex multis eis quae pulchra videntur, nihil non idem videbitur deforme, nihil justum non injustum, nihil sanctum non profanum (Rep. V, 479 a, b). Quae ubi contemplamur, animadvertimus, haec quae videmus pulchra id quod revera est pulchrum imitari sed non aequare (Phaedo p. 75): unde fit, ut cogitatio nostra relinquat ea, quae, quod sunt, non vere ac plane sunt, et ascendat ad ea, quae perfecta et omnibus mendis exempta sunt.

§. 3. Opponit ergo Plato singulas res quas mutationi obnoxias judicat, notionibus quae mutatione vacant: illas sensibus percipi, has cogitatione cognosci statuit. In qua distinctione cum principium Platonicae dialectices versetur, jam ab initio intenti esse debemus in eos locos, quibus Plato in hac distinctione servanda non sibi constitit: tales loci, si quos inveniamus, errorem in fundamento dialectices latentem produunt.

Ac jam ex eis Republicae verbis quae supra attigimus (VII, 530 b), ubi ne caelestium quidem corporum motus inconstantia vacare dicitur — de qua re alias Plato contrarie sentit —, manifestum fit, quam mira proferre cogatur, ut placitum suum retineat et a sensibili natura certam solidamque constantiam excludat. — Perrumpitur autem distinctio inter singulas res sensibus patentes et notiones cogitationi objectas, si quid reperitur medium locum inter utramque partem tenens, quod nec sensibus pateat nec notio

1) Cf. quae in Timaeo (49 b sqq.) de aqua dicuntur: cujus cum diversas mutationes descripturus sit, praemittit Timaeus: *τούτων γὰρ εἶπεῖν ἕκαστον ὁποῖον ὄντως ὕδωρ χρὴ λέγειν μᾶλλον ἢ πῦρ χαλεπὸν . . . ἀσφαλέστατον μακροῦ περὶ τούτων τιθεμένουσ ὡς λέγειν· αἰεὶ δὲ καθορώμεν ἄλλοτι ἄλλη γιγνόμενον, ὡς πῦρ, μὴ τοῦτο ἀλλὰ τὸ τοιοῦτον ἕκαστοιτε προσαγορεύειν πῦρ. Qui locus quid valeret, imprimis Herbartius in egregio libello, qui est de Platonici systematis fundamento, explicavit.*

generalis sit. Talis est conditio animarum, quae non, ut nonnulli arbitrantur, inter ideas a Platone referuntur sed in vicinitate idearum et in medio loco inter res sensibiles et res intellegibiles positae sunt: sunt enim *ἀσείδεις* et affines *τοῦ ἀεὶ ὄντος καὶ ἀθανάτου καὶ ἀσάπτως ἔχοντος*. In hac ditione inter utramque partem interjecta versantur omnia, quae anima agit patiturve, cogitationes, appetitus, cetera, quae nec sunt notiones generales nec sensibus possunt percipi: ac si Plato eos vituperat, qui unam materiam agnoscunt *πράξεις καὶ γενέσεις καὶ πᾶν τὸ ἀόρατον οὐκ ἀποδεχόμενοι ὡς ἐν οὐσίας μέρει* (Theaet. 155 E), ipse ad *τὰ ἀόρατα* in quibus inest veritas, etiam singulas actiones singulosque ortus non modo ideam actionis ortusque, refert.

Ac ne sensibiles quidem res mera sensuum actione cognosci, sed in his quoque singulis cogitationem ad sensus accedere Platonem haud fugit. In Theaeteto (185) enim describit, quo modo anima singulas res, quarum colorem, figuram, sonos per sensus cognoverit, sine sensuum auxilio ipsa intra se agitet, diversas sensuum perceptiones comparet, *οὐσίαν* cuiusque rei et *τὸ μὴ εἶναι, δμοιότητα καὶ ἀνομοιότητα, ἐν τε καὶ τὸν ἄλλον ἀριθμὸν* reputet, „*ἀναλογιζομένη ἐν αὐτῇ τὰ γεγονότα καὶ τὰ παρόντα πρὸς τὰ μέλλοντα ... ἐπανιοῦσα καὶ συμβάλλουσα κρίνειν πειράται ἡμῶν . . τὴν οὐσίαν*“ (186 a, b). Hoc internum animae cum se ipsa colloquium non statim a singulis ad generalia confugit, sed singularum naturam certasque leges investigat: quam rem hoc loco leviter adstrictam si philosophus noster amplius persecutus esset, fortasse dialectica ejus non tam celeriter rerum fluctus quasi temerarios certaue norma carentes deseruisset, sed mutationes legibus regi quae ipsae immutabiles sunt, assecuta esset. Sed de hac re in fine hujus commentationis accuratius videbimus: nunc hoc unum agebamus, ut oppositionem illam singularium quae aspiciuntur et universalium quae cogitantur nec justam nec ab ipso Platone semper servatam esse demonstrarem.

§. 4. Jam ad singulas disputandi vias, quibus Platonis dialectica ad notionum veritatem ascendere conatur, transeuntibus incipiendum videtur ab inductione, cuius nomen apud Platonem nondum exstat ¹⁾, exempla, ut apud Socratis discipulum par est, plurima

1) Nam quod Pol. 278 a dicitur: *ἄφ' οὗν οὐχ ὥδε ἤρστων καὶ κάλλιστων ἐπάγειν αὐτοὺς ἐπὶ τὰ μήπω γινωσκόμενα*; nil probat, cum verbum quod

inveniuntur. Non opus est autem ea accuratius recensere, quae apud Diogenem ¹⁾ de natura ac de generibus inductionis Platonicae disputantur: posterioris enim cuiusdam logici haec sunt commenta, non inventa Platonis.

Describitur ascensio a singularibus ad universalia procedens in Philebo p. 18a sqq., ubi cum contraria via ab universalibus ad singularia descendens descripta sit, philosophus addit: *οὕτω καὶ τὸναντίον ὅταν τις τὸ ἄπειρον ἀναγκασθῆ ἢ πρῶτον λαμβάνειν, μὴ ἐπὶ τὸ ἐν εὐθύς, ἀλλ' ἐπ' ἀριθμὸν αὐτὴν ἀπὸ πλῆθος ἑκαστον ἔχοντά τι κατανιών* (vulg. *κατανοεῖν*), *τελευτιᾶν τε ἐκ πάντων εἰς ἓν*. Quod commemoratur *ἄπειρον* videlicet est innumerabilis atque infinita rerum singularium varietas, a qua non statim ad summum genus quod cuncta complectitur procedere debemus, sed prius ad inferiora genera: quorum ubi certum quendam numerum descripserimus, amplius progrediendum est, donec ad unitatem summi generis pervenerimus (*τελευτιᾶν τε ἐκ πάντων εἰς ἓν*) ²⁾. Hujus methodi exemplum additur a literis petium, quarum e varietate Aegyptius ille sapiens primum vocales distinxit earumque numerum descripsit, deinde semivocales, deinde mutas, postremo vero omnibus commune literarum nomen imposuit artemque cunctas complectentem grammaticam nominavit.

est *ἐπάγειν* hic nihil significet nisi adducere sive perducere. Statim post eodem sensu pro *ἐπάγειν* dicitur *ἀνάγειν*.

1) D. L. III, 53 sqq. cf. Heyder aristot. u. heg. Dialektik p. 62 adn. Quem Diog. commemorat *τρόπον κατ' ἐναντιώσιν* eum talibus locis cerni puto, qualis est Rep. I, 333d. Polemarchus dixit, justum amicum utilem esse, si quis argentum depositurus sit, non si quid emere velit. Si quis igitur, inquit Socrates, falcem deponere vult, utilis est justitia, si uti, ars vinitoris (*ἀμπελοργική*), si quis lyram et scutum deponere vult, utilis est justitia, si uti, ars musica et militaris. Qua inductione efficitur: *καὶ περὶ τὰλλα δὴ πάντα ἢ δικαιοσύνη ἑκάστον ἐν μὲν χρήσει ἄχρηστος, ἐν δὲ ἀχρηστία χρήσιμος*: quod cum absurdum sit, refutata est Polemarchi sententia.

2) Phil. 17a vituperatur temeritas qua philosophi nimis cito ad summa genera ascendunt: *τὰ δὲ μέσα αὐτοὺς ἐκφεύγει οἷς διακεχώρισται τὸ τε διαλεκτικῶς πάλιν καὶ τὸ ἐριστικῶς ἡμᾶς ποιῆσθαι πρὸς ἀλλήλους τοὺς λόγους*. Quis non reminiscitur, dum haec legit, duarum viarum, quibus Baco a singularibus ad generalia perveniri dicit, quarum altera sensim ascendit, altera ab imis uno cursu statim ad summa tendit (Nov. org. 1. 19)? Hunc quem citavimus Philebi locum spectasse mihi videtur Britannicus philosophus, quod ex falsae inductionis vituperatione, quam ceteris omnibus philosophis ac maxime Aristoteli objiciebat, unum Platonem exceptit (Nov. org. 1. 105).

Melius quomodo inductio singulis rebus colligendis generalem quae de his omnibus valet cognitionem condat, perspicitur in altero exemplo ex Menone (87e sqq.) petito, ubi Socrates demonstrare studet, omnia quae bona appellari soleant, prodesse, ubi scientia ea regat, nocere, si non regat. Quod ut efficiat, enumerat, quae sint ea, quae prodesse hominibus dicantur: ac primum quidem affert bonam valetudinem, robur, pulchritudinem, divitias: quae omnia si recte administrantur prosunt, si minus, obsunt. Pergit deinde ad τὰ κατὰ τὴν ψυχὴν, temperantiam, iustitiam, fortitudinem, reliqua: haec quoque, nisi scientia ea regit, non prosunt sed obsunt, velut fortitudo in inanem audaciam, temperantia in debilitatem convertitur. Unde sequitur, *ξυλλήβδην πάντα τὰ τῆς ψυχῆς ἐπιχειρήματα καὶ καρτερήματα ἡγουμένης μὲν φρονήσεως εἰς εὐδαιμονίαν τελευτῶν, ἀφροσύνης δ' εἰς τὸνναντιον*. Hac ratione cum expositum sit primum, quomodo externa bona a sapientia pendeant, deinde quomodo ipsius mentis virtutes in eadem condantur, summam totius inductionis Socrates his verbis colligit (88e sq.): *οὐκοῦν οὕτω δὴ κατὰ πάντων εἰπεῖν ἔστι, τῷ ἀνθρώπῳ τὰ μὲν ἄλλα πάντα εἰς τὴν ψυχὴν ἀνηρτῆσθαι, τὰ δὲ τῆς ψυχῆς αὐτῆς εἰς φρόνησιν, εἰ μέλλει ἀγαθὰ εἶναι, καὶ τούτῳ τῷ λόγῳ φρόνησις ἂν εἴη τὸ ὠφέλιμον*.

Raro autem tam accurate omnia singularia, ex quibus inductio fiat, enumerantur: plerumque alio modo Plato agit ac nonnullis tantum enumeratis quod his commune est alii rei singulari, quae eidem notioni universali subest, tribuit. Constantes observari possunt formulae, quibus Socrates talibus locis defectum plenae inductionis complere solet: velut saepe paucis exemplis collectis ab horum similitudine aliquid de ceteris conclusurus interrogat „οὐκοῦν καὶ τὰλλα οὕτως“; (Cratyl. 387b, Crito 47c), „καὶ τὰλλα οὕτω κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον“ (Gorg. 460b); eam rem, quae quaeritur, similiter atque reliquas se habere sumit „εἴπερ τι τοῖς ἐμπροσθεν μέλλει ὁμολογούμενον εἶναι“ (Crat. 387d), „εἴπερ ἀκολουθήσει τῇ πρόσθεν ὁμολογίᾳ“ (Lysis 219c), Clauda enim quodam modo esset natura, nisi quas leges sequitur in altera re, easdem sequeretur in altera, quae illi similis est (Phaedo 71e).

Accuratius ut dicamus, cognita exempla, quae inductione colliguntur, ex communis vitae usu, de quo inter omnes constat, solent esse desumpta; id quod quaeritur, in alia ditione a vulgari consuetudine remotiore positum est, in animo ejusque affectionibus,

in cogitatione et voluntate, quorum leges ita investigantur, ut eorum, quae in communi vita locum tenent, similitudo ad haec transferatur¹⁾. Unde simul apparet, quo vitio inductio Platonica laboret ususque ejus incertissimus reddatur. Nam cognitae res, e quibus inductio conficitur, a, b, c, cum ea re quae investigatur x, unam notam vel complures habent communes, propter quas omnino comparari possunt, in aliis autem diversae sunt: ubi igitur id quod quaeritur, a communi nota dependet, x cum a, b, c in eo consentit et inductio recte fit; ubi ab alia nota, quae non est communis, dependet, non in similitudine qua x cum a, b, c jungitur, momentum positum est, sed in dissimilitudine, et id quod inductione efficitur, potest esse falsum. Jam facile intellegitur, si ea, in quibus dialectica et ethica versantur, cum eis, quae communis vitae consuetudo offert, comparentur, multo latius plerumque patere dissimilitudinem, qua remotiora illa a notioribus his separantur, quam similitudinem, qua junguntur, atque errorum occasionem frequentissimam dari.

Exemplum videamus ex Theaeteto petatum, ubi cum investigetur, num recte definiatur τὸ ψευδῆ δοξάζειν esse τὸ μὴ ὄν δοξάζειν, Socrates inductione utitur hac: qui videt, semper unum quiddam videt idque ens; qui audit, unum quiddam audit idque ens; qui tangit, ens tangit: quare qui opinatur, ens semper opinatur, et qui non ens opinatur, omnino non opinatur. Quod cur falsum sit, manifestum est. Auditus enim noster ceterique sensus, ut aliquid sentiant, externo indigent impulsu, qui a re quae non existit proficisci non potest: opiniones autem, quibus non eadem ratione externo incitamento opus est, res quae non existunt aequae atque exstantes fingere possunt. Tali concludendi errore factum est, ut Plato generales notiones quas cogitamus revera existere sibi persuaserit: videlicet ut externis actionibus sensuumque perceptionibus objectum reale respondet, sic etiam

1) Liceat exempla quaedam, quibus hoc manifestum fiat, apponere ex Gorgia desumpta. 460 b comparantur ὁ τεκτονικός, μουσικός, ἱατρικός, concluditur de δικαίῳ 474 d comparantur τὰ καλὰ σώματα, χρώματα, σχήματα, φωταί, ἐπιτηδέματα, concluditur de eo καλῶ quod in virtute atque honestate positum est. 504 a comparantur οἰκοδόμοι, ζωγράφοι, ναυπηγοί, ἄλλοι πάντες δημιουργοί, παιδογίβαι, ἱατροί, quorum quisque τάξιν quandam et κόσμον efficit, concluditur de eis qui δικαιοσύνην et σωφροσύνην in civium animis efficiunt, cf. 514. 516 a, b.

cogitatio, quae generales notiones fingit, ad reale aliquid pertinere ei visa est.

Similiter in virtutibus tractandis, similiter in explicanda linguae natura et origine Plato, dum audacius notarum rerum leges ad ignotas in singularem harum naturam parum intentus transfert, a vero aberravit. Ὁ τὰ τεχνικὰ μεμαθηκώς, inquit Socrates cum Gorgia disputans (Gorg. 460 b, c), τεχνικός· ὁ τὰ μουσικὰ μουσικός, ὁ τὰ ἱατρικὰ ἱατρικός· καὶ τᾶλλα οὕτω κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον ὁ μεμαθηκώς ἕκαστα, τοιοῦτός ἐστιν οἷον ἕκαστον ἢ ἐπιστήμη ἀπεργάζεται. Οὐκοῦν κατὰ τοῦτον τὸν λόγον καὶ ὁ τὰ δίκαια μεμαθηκώς δίκαιος; — Πάντως δὴ που. — Tali modo neglecto discrimine quod inter voluntatis actionumque honestatem et artium exercendarum sollertiam intercedit, inductione illa ad huius normam accommodatur.

Nec ab hac disputandi ratione absunt, quae Plato de linguae natura profert: ita enim hanc explicare conatur, ut quae valent si quam rem manibus sive instrumentis tractamus, ad actionem nominandi, qua suum cuiquē rei nomen imponimus, transferat. Quod secare volumus, inquit (Crat. 387 a sqq.), secamus secundum ipsius naturam, non secundum arbitrium nostrum; quod u. imus, urimus sic ut natura ejus fert: si vero naturam rei objectae non curamus, nec secare eam possumus nec urere. Cum vero etiam τὸ λέγειν et τὸ ὀνομάζειν actiones sint, necesse est etiam nominando ipsarum rerum secundum naturam exprimi (ὀνομαστέον ἢ πέφυκε τὰ πράγματα ὀνομάζειν τε καὶ ὀνομάζεσθαι): quod nisi facimus, sonos pronunciamus, sed nihil nominamus. — Ac de linguae origine quae profert ipsa quoque inductione eandem ob causam falsa continentur. Nomen, inquit (388 b sqq.), est διδασκαλικόν τι ὄργανον καὶ διακριτικὸν τῆς οὐσίας ὡσπερ κερκὶς ὑφάσματος: κερκὶς vero est opus τέκτονος, nec quivis homo est τέκτων, sed qui artis est peritus. Item falx est opus χαλκέως, nec quivis est χαλκεύς, sed qui artem didicit. Quare nomen cum, sicut illa, ὄργανον sit, ipsum quoque est opus artificis cujusdam, τοῦ ὀνοματοῦργοῦ, nec quivis est ὀνοματοργός, sed qui artem tenet.

Haec exempla sufficiant, unde vitia, quibus Platonica inductionis methodus laborat, eorumque fons et origo intellegantur: quam originem, ut quod jam supra attigi hic repetam, in eo positam esse arbitror, quod Plato incognita cum cognitis, difficilia cum facilibus, motus similitudine quadam vel similitudinis specie

comparans, quod in his valet, neglecto discrimine inter haec et illa intercedente in illa quoque transferebat.

Transeundum jam est ad novam quaestionem videndumque, quem locum inductio in Platonis philosophia inter ceteras methodos obtineat: in qua re si paullo diutius commorabimur, venia, spero, nobis tribuetur propter gravissimum momentum, quod haec res ad Platonis artem dialecticam recte intellegendam sibi vindicat.

§. 5. Investigemus primum, num Plato ad definitiones inveniendas inductione usus sit. Hic considerandus est clarissimus Phaedri locus (265 d, e), quo dialectici munus duplex esse dicitur: *εἰς μίαν τε ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῆ διεσπαρμένα, ἕν' ἕκαστον ὀριζόμενος δῆλον ποιῆν περὶ οὗ ἂν αἰεὶ διδάσκειν ἐθέλη* . . . et deinde *τὸ πάλιν καὶ τὰ εἶδη δύνασθαι τέμνειν κατ' ἄρθρα ἢ πέφυκεν*. Quas *διαίρεσεις* et *συναγωγάς* fuerunt qui ad duas vias inter se contrarias, quarum altera per divisionem descendat, altera per inductionem ascendat referrent. Mihi vero inductionis significatio ab hoc loco plane abesse videtur. Nam quod Plato dicit ea quae multifariam disjecta sunt in unam speciem colligenda esse, nihil amplius significat, quam, definitiones esse statuendas: has autem singulis rebus quae sub aliquam notionem cadunt collectis comparatisque per inductionem esse quaerendas, in verbis quae sunt *εἰς μίαν ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῆ διεσπαρμένα*, non inest, et haec verba non minus ad contrariam viam, quae a superiore notione descendens dividendo ad aliquam definitionem pervenit, quam ad inductionem referri possunt. Quod si cui dubium videtur, consideret exempla, quibus Plato hoc ipso loco duas illas artis dialecticae methodos illustrat. Divisionis exemplum affert divisionem *τῆς παρνοίας*, quam Socrates duabus orationibus Lysianae oppositis exposuerat: ad definiendi artem illustrandam affert „*ὥσπερ τὸ νῦν δὴ περὶ Ἔρωτος ὃ ἐστὶν ὀρισθέν*“, sed haec ipsa Amoris definitio per divisionem a latiore *παρνοίας* notione descendendo inventa erat.

Atque ut breviter sententiam meam pronunciem, eam disputandi rationem, quae definitionem cuiusque notionis ita sectatur, ut singulas res sub hanc notionem cadentes colligat, observet, communes earum notas investiget, a Platonis dialectica arte alienam esse censeo, non quasi prorsus negem, hic illic exempla quaedam inveniri, in quibus, si ea accuratius examines, huius me-

thodi vestigia cernere possis (cf. *δ μιμητής* Rep. X, 597 E, *τὸ καλόν* Gorg. 474 d), sed hoc dico, Platonem ubi accuratius agat et subtilius aliquam definitionem investiget, inductionem nec adhibere nec, quae est Platonicae doctrinae indoles, adhibere posse¹⁾.

Plato enim, ubi fortitudinis definitionem quaerit, non eam sequitur fortitudinem, quam vulgare hominum iudicium²⁾ fortitudinem nuncupare solet, sed eam quae ideae virtutis adaequata est, illam autem vere fortitudinem esse negat. Quare definitionem suam non ex eorum exemplis qui fortes viri a vulgo praedicantur, potest elicere, sed rursus, ut de his recte iudicetur, vera fortitudinis notio jam cognita esse debet. Velut quem Polus ad suam de beatitudine sententiam tuendam affert Archelaum Macedonum regem (Gorg. 470 d), hunc Socrates beatum esse nondum constare dicit; postea vero ubi cognitum est, quae vita vere sit beata, inde apparet, Archelaum miserum esse (479 E). Vel ad notionem *τοῦ πολιτικοῦ* definiendam quosnam viros in republica spectatos Socrates sibi proponere debebat, cum Themistoclem et Cimonem et Periclem cives corrupisse censeret et ipse vel solus vel cum perpauca aliis recte rebus civilibus operam dare sibi videretur (Gorg. 521 d)? Aristoteles quidem, ut *μεγαλοψυχία* inveniretur, investigandum praecepit, quid in Alcibiade, Achille, Ajace magnanimum videretur (anal. post. II, 13): Platonem vero, cujus de poetarum dignitate sententia satis nota est, quis censebit Homericas personas aptas iudicasse, e quibus vera cujusque virtutis natura cognosceretur?³⁾.

1) Non nobis obijciendus est locus ille Convivii (210c sqq.), ubi describitur, quomodo a pulchris corporibus, pulchris moribus legibusque, pulchris scientiis ad ipsam pulchri ideam cognoscendo perveniatur. Nam primum quidem hic locus, qui *παιδαγωγίαν πρὸς τὰ ἔρωτικά* (210E), describit, non sine cautione ad dialecticam methodum est referendus, deinde comparato Phaedro (250d) apparet, Platonem etiam hic cognitionem ideae non ex singularum rerum perceptionibus inter se collatis existere voluisse, sed ex obscurata ideae olim spectatae memoria, quae pulchris corporibus moribusque contemplandis resuscitaretur. De hac *ἀναμνήσει* paullo post uberius agemus.

2) Ubi de vulgari iudicio loquor, significo etiam poetarum et sophistarum sententias, quas Plato interdum commemorat et examinat.

3) Operae pretium est, diversas Platonis et Aristotelis de popularis iudicii auctoritate sententias inter se comparare. Socrates Polo ex omnium Atheniensium consensu argumentum petenti, *οὗτος ὁ ἔλεγχος*, inquit, *οὐδενὸς ἀξιώσεται πρὸς τὴν ἀλήθειαν. ἐνίοτε γὰρ αὖ καὶ καταψευδομαρτυρηθείη τις ἐπὶ πολ-*

In definitionibus igitur quaerendis eam ob causam Plato inductione non poterat uti, quia discerni nequit, quaenam exempla sub aliquam notionem cadant, quamdiu ipsa notio incognita est, et quia populare iudicium quod hos fortes illos sapientes appellat propter ipsius fortitudinis et sapientiae inscientiam gravissimis erroribus decipitur. Ita res se habet in ethicis notionibus; eis autem in rebus in quibus communis vitae usus versatur, multitudinem recto saepe iudicio uti concedit: velut quid sit argentum quid ferrum, homines recte intellegunt; ubi autem quaeritur quid iustum bonumve sit, iudicium eorum sanum non est sibi quae ipsum repugnat (Phaedr. 263 a, cf. Alcib. I, 111 b sq.): si summum humanae vitae bonum quaeris, medicus bonam valetudinem laudabit, corporis robur artis gymnasticae magister, argentarius autem omnes illos vehementer despiciens interrogabit, num quid bonum divitias dignitate superet (Gorg. 452). Sed illis, quae omnes satis norunt, Plato non dat operam, totumque ejus studium versatur in eis rebus, ubi vulgi opiniones instabiles errant: quarum definitiones si ex singulis exemplis ad communis iudicii normam collectis elicere tentasset, necessario omnibus erroribus, quos multitudinis auctoritatem incertissimam reddere censebat, in philosophiam disputandi rationem aditum patefecisset.

Jam vero, cum in definitionibus quaerendis inductioni a Platone locum concedi non potuisse demonstratum sit, dicendum nobis est, quam tandem partem inductio, quam ex Platonis dialectica non exclusam esse patet, sibi vindicet et quem in usum disputationi serviat. Non recte mihi videtur haec quaestio ab Heydero esse tractata, qui eam ob causam inductionem a Platone, quamvis ab ingenio ejus paullo alieniorem, retineri potuisse iudicat, quod in philosophia ejus individuorum quoque ideae statuuntur,

λῶν καὶ δοκούντων εἶναι τι (Gorg. 471 E). Vera demonstratio non multorum auctoritate nititur, sed unius hominis testimonio ejus quocum colloquium habetur: *ἓνα ἐπιψηφίζειν ἐπισταμαι, τοῖς δὲ πολλοῖς οὐδὲ διαλέγομαι* (474 a). Quod unus hic concedere coactus est, id non ut multitudinis sententia instabile est, sed *δέδεται σιδηροῖς καὶ ἀδύμαντινοῖς δεσμοῖς* (509 a). Nec expectandum, unquam multitudinem eis quae Socr. dicit assensuram, nam, ut ait Callicles (481 c): *εἰ τυγχάνει ταῦτα ἀληθῆ ὄντα ἃ λέγεις ἄλλοι ἢ ἡμῶν ὁ βίος ἀνατετραμμένος ἂν εἴη τῶν ἀνθρώπων, καὶ πάντα τὰ ἐναντία πράττομεν, ὡς ἔοικεν, ἢ ἃ δεῖ;* — Quibus jam confer Aristotelicas sententias, quales inveniuntur eth. Nic. I, 8, 1098 b 28, 11, 1101 a 23, VII, 14, 1153 b 26 sq.

2*



a quibus ad generales per inductionem ascendendum sit. Omitto, hanc sententiam a Rittero prolatam, quae individuorum quoque ideas a Platone poni vult, probandam non esse (cf. quae contra hanc sententiam disputantur a Zellero Phil. d. Gr. II, 1. 422 adn. 3 edit. secund.): sed exempla inductionis, quae apud Platonem leguntur, et quorum nonnulla supra enarravimus, ea sunt, quae omnino de inductione ab individuorum ideis ad generales ideas ascendente ne cogitari quidem patiantur, sed plane alio spectent: nec qua ratione Plato inductionem fortasse adhibere potuerit, ratiocinandum est, sed qua ratione revera eam adhibuerit, exemplis quae in dialogis exstant perpensis investigandum.

Atque ipsae quidem ideae quales sint inductione non patefieri vidimus: sed explicandum praeterea erat Platoni, qua ratione homines et cogitando et agendo cum ideis societatem inirent, animum ad illarum constantiam attolerent, vitam ad illarum normam dirigerent. Hunc humani animi conatum, qui ad ideas tendit, Plato non aliter repraesentare poterat, quam comparatione earum et cogitandi et agendi operationum, quae ad sensibiles res diriguntur: atque hic potissimum in Platónico disputandi genere inductioni locum dari arbitror. Respiciamus ad exempla Platonica. Ut appareat animum ubi notionem generalem cogitat, non fictam speciem sed rem vere existentem cogitare, adhibetur oculorum ceterorumque sensuum similitudo, quos, ubi sentiunt, ens sentire necesse sit. Ut manifestum fiat, nomina ab artifice illo qui nominum condendorum artem callet, non temere rebus imponi sed ad certam et constantem cujusque rei naturam accommodate, ita ut nomen ideam rei exprimat, comparantur qui aliquid secaturi vel crematuri naturam ejus, ne irritus sit labor, observare et illi suam operam accommodare debent. Ut intellegatur, qua ratione idea cognitione concepta in actionibus hominum regendis valeat, comparantur opifices, qui ubi aliquam artem didicerunt, opera sua recte et ad artis leges accommodate perficiunt: eadem ratione qui, quod justum ac forte est cognovit, juste ac fortiter vivit. Ut cognoscatur, quomodo vir sapiens homines meliores reddat animosque eorum ad *δικαιοσύνην* et *σωφροσύνην* conformet, comparantur pictores, domuum naviumque fabri, medici, quorum quisque id cui praeest *ἀταξία* liberat eique *τάξιν* et *κόσμον* infert (Gorg. 504). Ut perspiciatur, cui mandandum sit reipublicae gubernaculum, ut virtus in civibus nascatur, comparantur naves re-

gendae et corpora sananda, quae nemo cuivis homini sed peritissimo cuique confidit.

Haec exempla, quae consulto ita elegimus, ut poneremus inductiones non quasi in transitu a Platone jactas, sed eas quae in condenda ejus philosophia majoris momenti sunt et pleraeque saepius ut sollemnes repetuntur, docent, quem locum inductionis methodus apud philosophum nostrum teneat. Ubi enim investigatur, quam rationem humana cogitatio et vita ad ideas habeat, quo modo et singuli cujusque hominis et reipublicae virtus existat, neque vero quaeritur vel pro cognito sumitur, qua ratione justus boni pulchri natura definienda sit, ibi maxime — non consulto fortasse sed natura rei ferente — inductionem a Platone adhiberi censeo.

§. 6. Eis quae de inductione Platonica disputavimus, addenda sunt pauca de paradigmatum methodo, quae ab inductione si accurate spectas vix differt¹⁾. Quando paradigma existat, optime in Politico (278 c) describitur. *Παραδειγματος*, inquit hospes Eleaticus, *ἔστι τότε γένεσις, δπόταν ὄν ταῦτόν ἐν ἑτέρῳ διεσπασμένῳ (διεσπασμένον?) δοξαζόμενον ὀρθῶς καὶ συναχθῆν, περὶ ἑκάτερον ὡς συνάμφω μίαν ἀληθῆ δόξαν ἀποτελῆ*. Velut pueri qui literas discunt, in parvis facilibusque syllabis literas recte agnoscunt, easdem si in difficilibus syllabis inveniunt, ignorant: quos praeceptor jubet illas syllabas cum his conferre, ut intellegant, easdem literas in utrisque positas eandem ubique naturam servare, donec ignota notis comparandis recte intellexerint. — Sic Plato, priusquam difficiliore quaestiones aggrediatur, faciliores ejusdem generis praemittit, in quibus illarum methodus exerceatur: in Sophista definitionis *τοῦ σοφιστοῦ* investigationem praeparat quaerenda definitione *τοῦ ἀσπαλιεντιοῦ*, in Politico, quomodo *ἡ πολιτική* a finitimis artibus segreganda sit, docet exemplo *τῆς ὑφαντικῆς*. Eadem ratione in Republica, cum quae sit singulo in homine justitia inventum non sit, facilius justitiam in republica inventum iri sperat, „*οἷόν περ ἂν εἰ προσέταξέ τις γράμματα σμικρὰ πόρρωθεν ἀναγνῶναι μὴ πάνυ δὲ βλέπουσιν· ἔπειτά τις ἐνενόησεν ὅτι τὰ αὐτὰ γράμματα ἔστι πον καὶ ἄλλοθι μεζῶ τε καὶ ἐν*

1) Ipse Plato singula exempla in inductione collecta *παραδείγματα* appellat Phileb. 53 b. Certum illud discrimen, quo postea inde ab Aristotele utraque methodus distinguitur, ad nos nihil attinet.

μεζονι, ἔρμαιον ἂν ἐφάνη, οἶμαι, ἐκεῖνα πρῶτον ἀναγνόντας οὕτως ἐπισκοπεῖν τὰ ἐλάττω, εἰ τὰ αὐτὰ ὄντα τυγχάνει (Rep. II, 368 d). Hoc modo singulos in republica ordines singulasque animae partes perpetuam analogiam servare iudicat, ut hae illis, illi his invicem illustrentur (cf. Rep. IV, 435 a *παράλληλα σκοποῦντες*). In Phaedro (246 a) dicit animae naturam explicare οἶον μὲν ἔστι, πάντη πάντως θείας εἶναι καὶ μακρᾶς διηγήσεως· ᾧ δὲ ἔοικεν, ἀνθρώπων τε καὶ ἐλάττωνος: quae igitur per se spectata difficiliora sunt, quam quae humanum ingenium intellegat, paradigmate facilius percipiuntur. Ad quem paradigmatis usum mythicae quoque narrationes, quibus Plato frequentissime utitur, sunt referendae: de quarum ratione uberius agere huius loci non est.

Etiam ad aliorum sententias examinandas refellendasque Plato paradigmaticam methodum transtulit. Quae quis de difficiliore magisque recondita re disputavit, ea ita examinantur, ut investigetur, num etiam in apertiore quandam rem, quam illi similem esse concessum est, cadant: ὡςπερ γὰρ ὁμήρους ἔχομεν τοῦ λόγον τὰ παραδείγματα οἷς χρώμενος εἶπε πάντα ταῦτα (Theaet. 202 E). Ita quod Antisthenes dixerat, prima rerum elementa (*στοιχεῖα*) λόγον non habere sed ἄλογα καὶ ἄγνωστα esse, id tentatur paradigmate quo ipse Antisthenes usus erat, literarum et syllabarum, conferendo: cumque Plato arbitretur, literarum cognitionem non modo esse, sed etiam multo clariorem firmioremque esse quam cognitionem syllabarum (l. c. 206 b), inde colligit, si omnino aliquid cognosci possit, multo maxime rerum elementa cognitionem admittere.

Superest, ut quaeramus, quam vim ad rerum cognitionem promovendam paradigmatica Platonis ratio habeat. Quod post ea, quae supra de inductione dicta sunt, breviter poterimus absolute. Nemo autem negabit, opinor, hanc methodum per analogias procedentem, quae in remotissima quaque re occultas similitudines detegit, optimum saepe ad nova invenienda praesidium praebere ¹⁾, neque enim rerum natura solo distinguendi atque discernendi acumine accurato cognoscitur, sed opus est etiam jungendi atque comparandi sollertia; tamen vero quae tali modo inventa

1) Cf. quae de analogiis Platonicis dicuntur a Trendelenburgio log. Unt. II, 419 ed. tert.

sunt, ea non prius sunt pro veris accipienda, quam ratio ea undique tentaverit, num similitudo re vera existat numque in eis quae investigantur haec similitudo nec dissimilitudo, quae inter utramque rem intercedit, momentum exercent. Qua in re Plato saepe in idem errorum genus, de quo supra actum est, incidit falsisque analogiis motus a veritate plurimum recessit. Velut politico, quem in cognomine dialogo describit, etiam invitis civibus leges quas optimas iudicet, vi perferre licere exemplo medici demonstrat, qui si aegrotum contra ipsius voluntatem secundo vel urendo sanat, non *νοσώδη καὶ ἄτεχνα* facere videtur (Pol. 296 c, d). Sed inter medicum interque politicum hoc gravissimum interest discrimen, quod illius ars solum corpus nec libertatem hominum spectat, quare qui hanc libertatem tollit, medicinae praecepta non offendit: politico autem, cum homines ut moralis libertatis participes debeat considerare, non licet ne ea quidem instituta, quae vel maxime salutaria iudicat, vi illis inculcare.

Ceterum ex locis haud paucis concludi potest, ipsum Platonem recte intellexisse, quibus periculis paradigmatica methodus laboraret. In Phaedone quidem Simmias, cum Socrates animam non recte cum harmonia comparari demonstrasset, per falsum paradigmatis usum in errorem se inductum esse intellegit. *Ἐγὼ δέ, inquit (92 d), τοῖς διὰ τῶν εἰκότων τὰς ἀποδείξεις ποιουμένοις λόγοις ξύνοῖδα ὁδοὶ ἀλαζόσι καὶ, ἂν τις αὐτοὺς μὴ φυλάττηται, εὖ μάλα ἐξαπατῶσιν*: analogiae igitur ratione sunt tentandae et examinandae (*φυλακταί*), ut scientiam nostram extendant, non decipiant. Similiter quae in Republica de tribus animae partibus comparatione trium qui in civitate exstant ordinum exhibentur, probe scit, nondum satis accurate disputata esse, quia paradigmatica methodus ad perfectam rei cognitionem non perducatur: *ἀκριβῶς μὲν τοῦτο, inquit (Rep. IV, 435 d), ἐκ τοιούτων μεθόδων οἷα νῦν ἐν τοῖς λόγοις χρῶμεθα, οὐ μὴ ποτε λάβωμεν, ἀλλὰ γὰρ μακροτέρα καὶ πλείων ὁδὸς ἢ ἐπὶ τοῦτο ἄγουσα* ¹⁾. Nonnunquam Plato analogias, per quas id quod quaerit illustrare tentaverat, postea refellit ac rejicit: ut in Cratylo rationem, quae inter res

1) Cf. Rep. X, 603 b, ubi ars poetica picturae similitudine erat descripta: *μὴ τοίνυν τῶ εἰκότι μῖνον πιστεύσωμεν ἐκ τῆς γραφικῆς, ἀλλὰ καὶ ἐπ' αὐτὸ αὐτὸ ἐλθῶμεν τῆς διανοίας τοῦτο, ὃ προσομιλεῖ ἢ διὰ τῆς ποιήσεως μιμητικῆς.*

earumque nomina intercedit, comparat similitudini imaginis et rei depictae: quam similitudinem cum postea in nomina non quadrare intellexerit, aliam, inquit (432 c), quaerere necesse est nominum veritatem atque veritatem imaginum. — Longe autem gravissimum iudicium de paradigmaticae methodi angustiiis fertur in Politico (285 E sq.): *τοὺς πλείστοις, inquit, λέληθεν, ὅτι τοῖς μὲν τῶν ὄντων ῥαδίως καταμαθεῖν αἰσθῆται τινες ὁμοιότητες πεφύκασι... τοῖς δ' αὖ μέγιστοις οὐσι καὶ τιμιωτάτοις οὐκ ἔστιν εἰδῶλον οὐδὲν πρὸς τοὺς ἀνθρώπους εἰργασμένον ἐναργῶς . . . διὸ δεῖ μελετᾶν, λόγον ἐκάστου δυνατὸν εἶναι δοῦναι καὶ δέξασθαι.* Qui vero in gravissima quaque et maxime recondita quaestione paradigmatum usum minimum esse censet, is inde, ubi maxime exemplis opus est, ea excludit, cum minores res magisque oculis patentibus etiam sine exemplis facilius pertractari possint. Quod autem Plato loco citato admonet, ut, quae gravissima sunt, sine exemplorum comparatione per se spectemus et *λόγον* cuiusque rei demus et accipiamus, id perducit nos ad Platonice de definitione doctrinam explicandam.

§. 7. Dialectici primum officium est, ut ait Socrates loco supra commemorato, *εἰς μίαν ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῆ διεσπαρμένα, ἢν ἕκαστον ὀριζόμενος δῆλον ποιῆ, περὶ οὗ ἂν αἰεὶ διδάσκειν ἐθέλῃ*¹⁾. Ac nomen quidem rei definiendae iam antequam definitio inventa est, eis qui illam quaerunt notum est, sed metuendum est, ne alius alium sensum huic nomini tribuat: *δεῖ δὲ αἰεὶ παντὸς περὶ τὸ πρᾶγμα αὐτὸ μᾶλλον διὰ λόγων ἢ τοῦνομα μόνον ξυνομολογεῖσθαι χωρὶς λόγου* (Soph. 218 c). Definitio est *λόγος τοῦ ὀνόματος* (Pol. 267 a) quo non debemus induci, ut credamus, Platonem nominales quae dicuntur definitiones quaesivisse, nam definitio est etiam *λόγος τῆς οὐσίας* (Legg. X, 895 d): atque per definitionem cuiusque rei essentiam multo magis decet proponere eis, qui id assequi sciunt, quam pictura ceterisque artibus (Polit. 277 c): hoc enim hominis est proprium eumque a bestiis distinguit, *τὸ ξυνιέναι κατ' εἶδος λεγόμενον ἐκ πολλῶν ἰὸν αἰσθήσεων*

1) Verbis *εἰς μίαν ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῆ διεσπαρμένα* conferenda sunt similia ad definiendi artem pertinentia: *μίαν ἐπισημαίνεσθαι τινὰ φύσιν* (Phileb. 25 a), *ἰδέαν μίαν ἐπισφραγίσασθαι* (Polit. 258 c). — Rep. X, 596 a *εἶδος γὰρ πού τι ἐν ἕκαστον εἰώθυμεν τίθεσθαι περὶ ἕκαστα τὰ πολλὰ, οἷς ταῦτὸν ὄνομα ἐπιφέρομεν.* — Polit. 285 b.

εἰς ἐν λογισμῷ ξυναιρούμενον (Phaedr. 249 b). Non autem definitionis loco singulae res, quibus nomen aliquod tribuitur, enumerandae sunt, sed id, quod omnibus commune est (*ἐν κατὰ πάντων* Meno 73 c), et propter quod illae hoc nomine appellantur, indicari debet (Theaet. 146 d sqq. Meno 71 E sqq., cf. Lach. 191). Ea autem definitio aptissime rei naturam indicat, quae ita est comparata, ut aliae res huic similes similibus definitionibus eadem ratione compositis possint denotari (Meno 76 d). Non vero in definiendo notiones, nisi quas cognitae esse supponitur, adhiberi licet: quare etsi recta, non apta tamen esse dicitur haec definitio, *σχῆμα* esse, *ὃ τυγχάνει χρώματι ἀεὶ ἐπόμενον* (Meno 75 b-d): nam poterit iterum interrogari, quid sit *χρῶμα*: *ἔστι δὲ ἴσως τὸ διαλεκτικώτερον μὴ μόνον ἰάληθῆ ἀποκρίνεσθαι, ἀλλὰ καὶ δι' ἐκείνων, ὧν ἂν προσομολογῆ εἶδέναι ὃ ἐρωτώμενος*. Multo gravissimum autem est vitium, si ipsa res definienda in definitione inest, quem circulum Plato saepe vehementer vituperat (Meno 79 c, d. Rep. VI. 505 b. Theaet. 210 a). Neque id licet, qualitatem aliquam rei definiendae, quae non ad ipsam ejus essentiam sed ad fortuitam quandam relationem pertinet, definitionis loco afferre, velut si quis dicat, id quod quaeritur ex omnibus alicujus generis rebus maximum sive pulcherrimum esse: quod etiamsi *ἀληθές* esse potest, nondum tamen est *σαφές*, nec est definitio, sed laudatio (Polit. 281 d, cf. Gorg. 448 d, 451 d sq. Euthyphr. 9 c). Neque illud admittendum est, ut aliquid in definitione insit, quod per se consentaneum est nec rem definiendam ab aliis distinguit: quod vitium castigatur in Menonis definitione (Men. 78 b), virtutem esse *βούλεσθαι τε τάγαθὰ καὶ δύνασθαι*: nam *τούτου λεχθέντος τὸ μὲν βούλεσθαι πᾶσιν ὑπάρχει καὶ ταύτῃ γε οὐδὲν ὁ ἕτερος τοῦ ἑτέρου βελτίων*: quare hoc ex definitione virtutis ejiciendum retinendumque solum, virtutem esse *δύναμιν τοῦ πορρῆσθαι τάγαθὰ*.

Commemorandum est praeterea — quamquam haud magnum inde momentum ad dialectica de definitione praecepta redundare mihi videtur — unitatem definitionis et multitudinem infinitam singularum rerum, quae sub illam cadunt, a Platone comparari cum metaphysicis principiis *πέρας* et *ἀπέρον* (Phileb. 23 c). Quae comparatio minus feliciter contigit: quam si ad exempla quae in Philebo inveniuntur adhibemus, sententia illa Platonis plane in contrarium vertitur. Velut calidum frigidumque ad genus *τοῦ ἀπέρον* pertinet, cum infinitam naturam *τοῦ μάλλον καὶ*

ἤτιον admittat: in quam indeterminatam caloris materiam si *πέρας* immergitur, secundum Platonis doctrinam certa caloris mensura existit. Gradus igitur caloris dependet a *πέρατος* natura; ipse calor, qui gradu determinatur, pertinet ad *ἄπειρον*. Qui autem calorem definire vult, is non certum quendam gradum debet definire — innumerabiles enim sunt singuli gradus —, sed ea *ἐνέργεια* definienda est, cujus variae mensurae illi gradus sunt: quare ipsum id quod definitur, hic respondet *ἄπειρω*, singula quae sub definitionem cadunt, variis *πέρασιν*. Sed mittamus haec, quae minus necessaria sunt, et ad eam quae jam tractanda est quaestionem nos convertamus: explicandum enim est, qua ratione Plato ad definitiones disputando pervenire et quae potissimum in eis quaerendis spectare soleat. Qua de re ita agere commodum est, ut nonnulla, quae ad veram notionum vim inveniendam erroribusque purgandam spectant, etiamsi non proprie ad definitiones quaerendas referuntur, huc propter methodi similitudinem trahamus.

§. 8. Ut vera cujusque rei natura noscatur, imprimis opus est, ut falsae opiniones, quae veritatem abscondunt, refutentur, efficiendumque est, ut homines, quae ignorant, ea ignorare se intellegant: philosophia enim, sicut ab eo aliena est qui omnia animo complectitur — neque enim quae quis jam habet ea quaerit — ita ne ei quidem contingit, qui tantopere erroribus obnoxius est, ut cum nil sciat, satis jam veritatis particeps esse sibi ipse videatur (Conv. 204 a). Demonstrandum igitur est hominibus, opiniones eorum ipsas sibi repugnare: *ἐπιδεικνύουσιν* (scil. *οἱ φιλόσοφοι*) *αὐτὰς (τὰς δόξας) αὐταῖς ἅμα περὶ τῶν αὐτῶν πρὸς τὰ αὐτὰ κατὰ ταῦτ' ἐναντίας* (Soph. 230 b) ¹⁾.

Sed hac ratione nondum positiva cognitio ejus quod investigatur existit: si communis hominum sententia duo contradictoria continet, in incerto relinquitur, utrum sit verum, utrum falsum. Ac ne omnes quidem vulgi errores eo possunt everti, ut interna eorum repugnantia demonstretur: saepe enim opinio quaedam, quamvis falsa sit, ipsa tamen sibi constat (Crat. 436 d). Quare philosophus, nisi certum aliquid haberet praeter temerarios multitudinis errores, non posset ad id quod quaerit pervenire: *πῶς γὰρ δύναται*

1) Exemplum vide in Gorgia 460 E sq., ubi Gorgiana rhetorices definitio ita refellitur, ut Gorgiam ipsum sibi repugnare appareat. Similia dialogi tantum non omnes continent.

ἂν τις ἀρχόμενος ἀπὸ δόξης ψευδοῦς ἐπὶ τε τῆς ἀληθείας καὶ μικρὸν μέρος ἀφικόμενος κήσασθαι φρόνησιν; — σχεδὸν οὐδαμῶς (Polit. 278 d). Sed unde philosopho, si in vulgari hominum opinione auctoritas nulla inest, certum dari potest fundamentum, quod erroribus exemptum ad veram ejus rei quae investigatur naturam spectet, quam cognitam nondum habet? Sic Meno Socratem interrogat (M. 80 d): *τίνα τρόπον ζητήσεις τοῦτο ὃ μὴ οἶσθα τὸ παρῶπαν, ὃ τι ἐστὶ; ποῖον γὰρ ὧν οὐκ οἶσθα προθέμενος ζητήσεις; ἢ εἰ καὶ οὐ μάλιστα ἐντύχοις αὐτῷ, πῶς εἶσει ὅτι τοῦτό ἐστιν ὃ σὺ οὐκ ᾔδεισθα;* ad quam dubitationem Socrates respondet ita, ut animam nostram ante hanc vitam omnium rerum veritatem intuitam esse doceat, quarum memoriam obscuratam cum recuperemus, nos discere aut invenire quamque rem videri, cum revera omnis doctrina nil sit nisi *ἀνάμνησις*: velut servus Menonis aptis Socratis interrogationibus eo perducitur, ut de quadratis recte respondeat, quae ipse antea nunquam didicerat. — Itaque, ut ex Platonis sententia id solum quod ad nostram quaestionem spectat teneamus mysticis involucris missis, immediata quaedam conscientia, non clara illa et distincta sed obscura atque confusa, ejus quod investigatur, jam adest in animo nostro, quae dialectica methodo suscitari debet certisque terminis circumscribi „*ἵνα ὑπαρᾶν ἀντ' ὀνειράτος ἡμῶν γένηται*“ (Pol.).

Tamen vero hanc *ἀνάμνησιν* laudando Socrates nondum totam Menonis quaestionem solvit: restat gravior difficultatis pars. Nam conscientia illa veri, quamvis non sine jure quasi anima artis dialecticae, quae omnem regit, possit appellari, tamen ut in logica notionum disquisitione ullum momentum exercere possit, logicas quasdam formas induat oportet: quod nisi facit, efficax et ad notiones investigandas utilis esse nequit.

Hoc quod significavimus, ut immediatae veri memoriae in disputando momentum vindicaretur et ad alienas opiniones refellendas et ad propriae sententiae fundamenta condenda, Plato artibus vel maxime variis assecutus est, quae ad communes formas redigi vix poterunt. Nonnullis tantum in exemplis eandem vel similem disputandi formam redire observari potest. Velut definitio alicujus notionis ad vulgarem opinionem sive sophistarum doctrinam accommodata ita interdum examinatur, ut, cum vera ac plena illius notionis vis nondum perspecta sit, teneatur tamen ex immediata de qua diximus cognitione profectum signum aliquod, quo

illa notio agnoscatur (liceat mihi id vocabulo parum latino appellare criterium): cui criterio si proposita definitio non respondet, vera esse nequit: ipsum vero criterium sine demonstratione per se constat.

Tali modo Plato agit in Theaeteto, ubi ad *ἐπιστήμης* notionem inveniendam examinatur sententia Theaeteti, qui *ἐπιστήμην* esse *αἰσθησιν* posuerat. Sensuum, inquit Socrates, alius docet, quae sit figura et color cuiusque rei, alius, quis sonus, reliqui reliqua: ipsa autem anima singulorum sensuum perceptiones inter se jungit, comparat, similitudines dissimilitudinesque observat, *οὐσίαν* denique et *τὸ μὴ εἶναι* cuiusque rei cognoscit. Jam vero, etiamsi *ἐπιστήμης* notio nondum nota est, hoc tamen dubitationi exemptum constat, id quod *οὐσίαν* et *ἀλήθειαν* rerum non attingat, *ἐπιστήμην* esse non posse. *Οἷόν τε οὖν ἀληθείας τυχεῖν, ὧ μὴδὲ οὐσίας; — ἀδύνατον — οὐδὲ ἀληθείας τις ἀτυχήσει, ποτὲ τοῦτον ἐπιστήμων ἔσται; — καὶ πῶς ἂν ὧ Σώκρατες; — ἐν μὲν ἄρα τοῖς παθημασιν οὐκ ἐνὶ ἐπιστήμῃ, ἐν δὲ τῷ περὶ ἐκείνων συλλογισμῷ οὐσίας γὰρ καὶ ἀληθείας ἐναυῖθα μόνον ὡς ἔοικε δυνατόν ἄψασθαι, ἐκεῖ δὲ ἀδύνατον* (Th. 186 c, d). Immediata igitur conscientia, quae *ἐπιστήμην* postulat extra fluctuantem singularum rerum perceptionem sitam ad rerumque *οὐσίαν* et *ἀλήθειαν* pervenientem, prohibet, ne Protagorea sententia, quae scientiam in *αἰσθήσει* positam esse vult, accipiatur, et fundamentum praebet ad scientiae naturam altius investigandam, quam jam non in *αἰσθήσεως* sed in *δόξης* ditione quaerendam esse constat.

Similiter in Phaedone (69 a sq.) Socrates refellit communem hominum sententiam, qui virtutem eo contineri arbitrantur, ut minora mala majoribus, majores voluptates minoribus praeferamus. *Μὴ οὐχ αὐτή*, inquit, *ἢ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετὴν ἀλλαγὴ, ἡδονὰς πρὸς ἡδονὰς καὶ λύπας πρὸς λύπας καὶ φόβον πρὸς φόβον καταλλάττεσθαι, καὶ μεῖζω πρὸς ἐλάττω ὡσπερ νομίσματα, ἀλλ' ἢ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα ὀρθόν, ἀντὶ οὗ δεῖ πάντα ταῦτα καταλλάττεσθαι, φρόνησις, καὶ τοῦτον μὲν πάντα καὶ μετὰ τοῦτον ἀνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ἢ καὶ ἀνδρία καὶ σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη, καὶ συλλήβδην ἀληθῆς ἀρετὴ ἢ μετὰ φρονήσεως . . ., χωριζόμενα δὲ φρονήσεως . . . μὴ σκιαγραφεῖα τις ἢ ἡ τοιαύτη ἀρετὴ.* Divinamus igitur ex interna virtutis conscientia, quam etiam priusquam notionem ejus perspexerimus, tenemus, veram virtutem non in sordida quadam compensatione voluptatum dolorumque versari, sed in sa-

pientia, quae omnibus animi conatibus, quibuscum juncta est, dignitatem tribuit. Idcirco igitur Socrates quam vulgus collaudat fortitudinem inanem *σκιαγραφία* esse contendit, quia repugnat criterio illi ex innata virtutis conscientia derivato, quod virtutem in commutatione voluptatum dolorumque poni vetat.

Diversam rationem disputatio in Euthydemo (278 E sqq.) sequitur, quod exemplum eo magis ad cognoscendam artem dialecticam adhibere decet, quia ipse Socrates hoc loco se sophistarum nugis suae methodi specimen oppositurum esse profitetur. Quaeritur autem quae sit vera beatitudo: atque initio quasi totius disputationis fundamentum ponitur, beatum esse, cui multa bona sint. Bona autem sunt divitiae, sanitas, nobilitas, honores, temperantia, fortitudo cet. Sed haec omnia per se nondum sufficiunt (280 b), nam qui quam plurima bona possidet, si eis non utitur, beatus nondum est. Quare ad *κτῆσιν* bonorum debet accedere *χρήσις*, sed ne hoc quidem sufficit, nam qui male utitur, ne is quidem beatus est, debet igitur *χρήσις* esse *ὀρθή*. Recte autem omnibus rebus utitur qui *ἐπιστήμην* habet, eaque *ἐπιπραγίαν* hominibus praebet. Quae vero supra enumerata sunt bona, ea per se nihil ad beatitudinem conferunt: nam qui male eis utitur, eo miserior fit, quo sunt majora: tum denique, ubi sapientia illa regit, beatitudo existit: beatitudo igitur posita est in sapientia. — Hujus quem adumbravimus loci logicum schema est hoc. Ponitur notio A (*τὸ εὐδαιμονεῖν*) quae investiganda est. Enumerantur singula elementa *α, β, γ* (divitiae, sanitas etc.) quae secundum vulgare iudicium notionem A efficiunt. Sed haec elementa per se, si quis accuratius spectat, nondum sufficiunt atque aliquem factorem m (nostro loco *χρήσις*) desiderant, quocum conjuncta notionem A efficere videntur. Hoc m iterum, ut A existat, aliam notionem n requirit (*ὀρθήν χρήσις, ἐπιστήμη*): sine qua non magis notionem A quam — A potest gignere (divitiae, si male utimur, reddunt miserum): hoc n demum invento plena vis notionis A perspecta est. Ac fieri potest, sicut nostro exemplo intelligitur, ut notio n postremo loco inventa multo magis necessarie ad essentiam notionis A pertineat, quam ea quae vulgare iudicium statim initio offerebat, *α, β, γ*: divitiae enim, honores, reliqua illa nil nisi externam speciem beatitudinis habent, vera autem beatitudinis vis versatur in *ἐπιστήμη* quae illis *ὀρθήν χρήσιν* praebet.

Ubi vero notio quae investigatur non, ut notiones beatitu-

dinis, fortitudinis cet., ex vulgarium errorum inconstantia eximi debet, sed ipsa suapte natura in horum errorum ditione versatur — quod ita se habet, ubi v. c. definitio sophisticæ sive rhetoricæ artis quaeritur —, talibus in notionibus quaerendis Plato munus dialecticæ artis id esse existimat, ut quas artes vulgus admiratur, eas speciem tantum veritatis, non veritatem attingere demonstret: velut cum Gorgias definiret rhetoricam persuadendi artem de justo et injusto, Socrates honestum ac liberale artis nomen ab ea abjudicat eamque *ἄτεχνον τριβήν* sive *κολακείαν* definit, quæ non bonum sed boni speciem sectans hominum animos jucunditate permulceat. Similiter Socratica sophisticæ definitio, quæ illum in *φανταστικῷ γένει τῆς εἰδωλοποιικῆς* versari dicit (Soph. fin.), contraria est definitionibus, quas in Protagora et Hippocrates et deinde ipse Protagoras proferunt: quorum ille sophisticam definit esse, quod nomen ejus significet, *τὸν τῶν σοφῶν ἐπιστήμονα*, hic dicit eum artis politicæ magistrum esse: quam fallacem sapientiæ speciem Socrates, ubi quis sit sophistes quaerit, illi detrahere studet. —

Exposui, ut potui, quid Plato in definiendis notionibus communi judicio opponere, quid ipse sectari soleat. Dicendum jam est quam brevissime, qua ratione Plato angustiores definitiones extendere, latiores accuratius determinare consueverit, ac deinde ad methodum divisionis, cui præcipuam partem in definitionibus quaerendis Plato tribuebat, transeundum. —

§. 9. Quam facile in definiendo ita peccaretur, ut definitio aut angustius aut latius pateret quam res definienda, Platonem non fugit; ac fere ubicunque alicujus rei definitio investigatur, videmus, Socratem aut hunc aut illum errorem notare. Menoni quidem, cum virtutem definivisset *τὸ ἄρχειν οἰόντ' εἶναι τῶν ἀνθρώπων* (M. 73c), objicitur a Socrate: *ἀλλ' ἄρα καὶ παιδὸς ἀρετὴ ἢ αὐτῆ καὶ δούλου. ἄρχειν οἶω τε εἶναι τοῦ δεσπότου;* — Item cum Laches in dialogo cognomine (191) fortitudinem dicat esse *ἐν τῇ τάξει μένοντα ἀμύνεσθαι τοὺς πολεμίους καὶ μὴ φεύγειν*, Socrates opponit, non solum se quaerere *τοὺς ἐν τῷ ὀπλιτικῷ ἀνδρείους*, sed etiam *τοὺς ἐν ξύμπαντι τῷ πολεμικῷ εἶδει*, nec solum in bello sed etiam in mari, in morbis, in doloribus voluptatibusque, omnes denique qui fortes dicantur. — Angustiores igitur sunt hae definitiones, quam quæ notionum definiendarum ambitum aequent. Multo frequentius autem est oppositum erroris genus, ut definitio

nimis late pateat: quod Plato saepissime ac fere eisdem semper verbis castigat. Velut in Protagorae loco modo commemorato (312c), cum Hippocrates sophistam definivisset τὸν τῶν σοφῶν ἐπιστήμονα, Socrates: οὐκοῦν τοῦτο μὲν, inquit, ἔξεστι λέγειν καὶ περὶ ζωγράφων καὶ περὶ τεκτόνων, οὐ οὗτοι εἰσιν οἱ τῶν σοφῶν ἐπιστήμονες· ἀλλ' εἴ τις ἔροίτο ἡμᾶς, τῶν τί σοφῶν κτλ. Quibus Socrates efficit; ut Hippocrates, quod modo responderat, accuratius circum scriberet ac diceret σοφιστήν esse ἐπιστάτην τοῦ ποιῆσαι δεινὸν λέγειν. Sed ne hoc quidem Socrati sufficit: ἴσως ἂν ἀληθῆ λέγοιμεν, οὐ μέντοι ἱκανῶς γε· ἐρωτήσεως γὰρ ἔτι ἢ ἀπόκρισις ἡμῶν δεῖται, περὶ οὗτον ὁ σοφιστῆς δεινὸν ποιεῖ λέγειν κτλ. Hujus methodi, qua nimis latae definitiones compluribus deinceps notis additis arctius circumscribuntur, exemplum luculentissimum reperitur initio Gorgiae, ubi a vaga Gorgiae definitione, rhetoricam esse περὶ λόγους, successive determinando eo pervenitur, ut rhetorica dicatur esse παιδοῦς δημοουργὸς πιστευτικῆς περὶ τὸ δίκαιον καὶ ἄδικον, cujus disputationis summa cum arte compositae diversos gradus enumerare longum nec necessarium est¹⁾.

§. 10. Haec determinandi ratio perducit nos ad doctrinam de divisione perlustrandam, cujus methodi a Platone vel maxime celebratae accuratissima praecepta traduntur in Sophista et in Politico, ubi et quomodo sit dividendum et quomodo divisiones in definitionibus quaerendis adhiberi debeant, docetur.

Dividendi methodum Plato tanti facit, ut eam a deis per alterum Prometheum quasi lucem, qua distinguantur ea, quae tenebrae confusa permiscent, hominibus datam esse praedicet (Phileb. 16c sq.); atque veteris temporis sapientes ad posteriores hanc cognitionem propagasse fabulatur ὡς ἐξ ἑνὸς μὲν καὶ πολλῶν ὄντων τῶν αἰεὶ λεγομένων εἶναι, πέρας δὲ καὶ ἀπειρίαν ἐν ἑαυτοῖς ξύμφυτον ἐχόντων: quare ubi infinitam singularum rerum varietatem una idea comprehenderimus, deinde investigandum esse, nonne in hac idea duae vel tres ideae insint, atque harum unamquamque iterum eadem ratione tractandam esse, donec a generis unitate per specierum certum ac definitum numerum ad singularum rerum infinitam multitudinem pervenerimus²⁾.

1) Similem methodum invenies Lach. 192c, ubi de fortitudine agitur, Rep. I. 332E sq., ubi justitia tractatur, aliisque locis plurimis.

2) Vocabula, quibus Plato divisionem significat, pleraque a frangendi

Dividendum autem est non qualibet ratione, sed ut natura rei dividendae fert, *κατ' ἄρθρα ἢ πέφυκε, καὶ μὴ ἐπιχειρεῖν καταγνῖναι μέρος μηδὲν κακοῦ μαγεύρου τρόπῳ χρώμενον* (Phaedr. 265 E). Optima autem divisio est dichotomia¹⁾ eaque medium genus dissecans²⁾: neque vero una parva species multis magnisque opponenda, velut si quis numeros in *μυριάδα* et reliquos numeros, homines in Graecos et barbaros dividere velit (Pol. 262). Non dividendum est *εἶδος χωρὶς*, sed τὸ μέρος ἅμα εἶδος ἐχέτω (l. c. 262 a): id est, si notioni A subjectae sunt $\alpha, \beta, \gamma, \delta, \epsilon, \zeta$, e quibus α, β, γ et δ, ϵ, ζ idem *εἶδος* exhibent, A non dividendum est in $(\alpha + \beta)$ et $(\gamma + \delta + \epsilon + \zeta)$ — haec enim essent *μέρη εἶδος χωρὶς* — sed ita dividere debemus, ut *μέρος* simul habeat *εἶδος*: $(\alpha + \beta + \gamma)$ $(\delta + \epsilon + \zeta)$. — *Μέρος* igitur latius patet quam *εἶδος*: *ὡς εἶδος μὲν ὅταν ἦ του, καὶ μέρος ἀναγκαῖον αὐτὸ εἶναι τοῦ πράγματος διου περ ἂν εἶδος λέγεται, μέρος δὲ εἶδος οὐδεμία ἀνάγκη* (Pol. 263 b)³⁾.

Ex dichotomia bis adhibita nascitur quadripartitio *κατὰ πλάτος* et *κατὰ μῆκος* (Soph. 266 a), cujus exemplum habemus in Gorgia (c. 19, 20). Ibi *τέχνη*, quae *εὐεξίαν*, et *σπλαχεῖαι*, quae *δοκοῦσαν εὐεξίαν* efficiunt, ita dividuntur, ut primum quidem distinguantur, quae ad corpus et quae ad animum pertinent, deinde quae *εὐεξίαν* conservant et eae quae turbatam restituunt; unde haec nascitur descriptio:

similitudine sunt ducta: *καταθραύειν, σχίζειν, κατακερματίζειν, τέμνειν, διαιρεῖν, διορίζειν*. — Discrimen inter diversas ejusdem generis species intercedens est *διαφορῆ, διπλόη*. Ratio inter genus interque ejus species intercedens exprimitur vocabulis a spatio translatis (cf. Kiesel de conclusionibus Platonis, Disseld. 1863, p. 1): *περιέχουσθαι, περιλαμβάνεσθαι, περικαλύπτειν, τάξιν εἰληχέναι, ἐν τῇ μοίρᾳ τινὸς εἶναι*.

1) *διχάζειν* Pol. 264 d.

2) *διὰ μέσων εἶναι* 262 b, *μεσοτομεῖν* 265 a, cf. *τὴν ἄγνοιαν ἰδόντες εἴ πῃ κατὰ μέσον αὐτῆς τομὴν ἔχει τινά*. Soph. 229 b.

3) Aliis locis Pl. terminis *μέρος* et *εἶδος* sine discrimine utitur, velut Pol. 306 b; saepe etiam *γένος* et *εἶδος* permiscetur (Pol. 288 E, Tim. 58 c sqq.). Quod Pl. inter *μέρος* cui respondet *ὄλον* et *εἶδος*, cui respondet *γένος*, non satis distinguit, eo nonnumquam in errores inducitur. Id quod de genere valet, valet de omni specie, sed non, quod de toto valet, valet etiam de quavis parte: quae Plato interdum permiscet, cf. Parmen. 145 d, Crat. 385 b, c.

A. τέχναι, cf. Soph. 228 e sq.

	in corpore	in animo.
conservantes	γυμναστική	νομοθετική
restituentes	ιατρική	δικαιοσύνη.

B. κολακείαι.

	in corpore	in animo.
conservantes	κομμωτική	σοφιστική.
restituentes	μαγειρική	δητορική.

Ibi tandem, ubi dichotomia adhiberi nequit, plures partes admittuntur: κατὰ μέλη τολώνν . . . διαιρώμεθα, ἐπειδὴ δίχα ἀδυνατούμεν. δεῖ γὰρ εἰς τὸν ἐγγύτητα ὅτι μάλιστα τέμνειν ἀριθμὸν ἀεί (Pol. 287 c). Saepissime autem Plato trifariam dividit in duo contraria et id quod medium intercedit (τὸ μεταξὺ τούτων), velut Gorg. 467 e, Lys. 216 d, Phileb. 43 d, e, Conv. 201 e sq., 202 d, Rep. II init.

De certa norma principii divisionis inveniendi Plato omnino non videtur cogitasse: eadem notio varias divisiones admittit, quarum modo haec modo illa eligitur, ut quaeque ad id quod quaeritur maxime idonea videtur (Pol. 258 c sq., 265 d): velut τέχναι dividuntur in Sophista in ποιητικός et κητικός, in Politico et Gorgia (450 c) in γνωστικός et πρακτικός. Ad finem pervenit divisio, ubi ea assecuta est, quae amplius dividi non possunt, quae ἄτιμητα sive ἄτομα dicuntur (Phaedr. 277 b, Soph. 229 d): ultra quae infinita singularum rerum varietas sita est (τὸ ἄπειρον Phileb. 16 e), quam cognitionem admittere Plato non magis quam Aristoteles censet.

§. 11. Explicandum jam est, quomodo Plato hanc dividendi rationem, qualem descripsimus, in definitionibus quaerendis adhibuerit. Appellari autem solet definitionis per divisionem investigatio *ἀπόδειξις* (Pol. 273 e, 277 a). Cujus methodi tantam esse vim Plato sibi persuasit, ut nulla notio, si hac ratione investigaretur, in dubio relinqui posset: *πάντως*, inquit, *οὔτε οὗτος* (scil. *ὁ σοφιστής*) *οὔτε ἄλλο γένος οὐδὲν μήποτε ἐκφυγὸν ἐπεύξεται τὴν τῶν οὔτω δυναμένων μετέναι καθ' ἑκαστὰ τε καὶ ἐπὶ πάντα μέθοδον* (Soph. 235 c). Videamus igitur per singulas divisoriae methodi partes gradusque, qua ratione Plato id cuius definitio investigatur, divisionibus manifestum reddere studeat. — Sicut hominem aliquem quaerentes multum iam profecimus, ubi domum, in qua habitat, invenimus, sic notionem investigantes multum sumus assecuti, si genus, quod illam complectitur, nobis est notum (Phileb. 61 b). Tamen vero in copiosissimis divisoriae methodi exemplis sophistae et politici non accuratius exploratur, quod genus dividi debeat, ut intra species ejus id quod quaeritur inveniat: ubi sophista quaeritur, hospiti Eleatico a Theaeteto statim initio simpliciter conceditur, sophistam esse non *ιδιώτην* sed *τέχνην ἔχοντα*, quare dividitur notio *τέχνης*: similiter *πολιτικός* sine illa investigatione statim ab initio disputationis refertur inter *τοὺς ἐπιστήμονας* (Pol. 258 b): unde sequitur, notionem scientiae dividendam esse, ut politicus inveniat. — Eadem ratione ubi generalis notio in species — plerumque duas — divisa est, item a mera conjectura pendet, ultra species eam notionem quae quaeritur contineat. Velut cum *ἐπιστήμη* divisa sit in *γνωστικὴν* et *πρακτικὴν*, de rege „*τόδε γε δῆλον*“, non manibus et corporis robore eum imperium exercere, sed animi vi ac consilio (Pol. 259 c); quare politica ars ad *γνωστικὴν ἐπιστήμην* refertur, et haec amplius dividitur. Ac saepe quidem sine erroris periculo dijudicari potest, utra in parte id quod quaeritur ponendum sit: quare in *ἀσπαιεντῇ* quidem definiendo, quem omnes satis norunt, divisio opportune cedit. At cum sophistae *δυσθήρατον γένος* quaeritur, saepius accidit, ut sophista modo in hanc modo in illam speciem, quarum altera alteram excludit, referatur: verbi causa cum ars sophistae, quia sapientiae commercium exercet, inter *ἀγοραστικὴν* collocata sit, *ἀγοραστικὴ* dividitur in *αὐτοπωλικὴν* et *μεταβλητικὴν*, *μεταβλητικὴ* rursus in *καπηλευτικὴν* et *ἐμπορικὴν*: deinde sophista modo *αὐτοπωλικός* modo *μεταβλητικός* dicitur esse, modo *κάπηλος* modo *ἐμπορος*. Itaque cum disjunctiones per quas

methodus procedit, non tales sint, ut sophista in alteram partem necessario referendus sit, ex altera excludatur, non una invenitur definitio sed sex, prout sophista modo ad hoc modo ad illud genus refertur: quarum definitionum quae ultimo loco posita est, cum inventa sit divisione *καθαρικῆς*, cui omnino sophistica ars non est subjecta, magis philosophum quam sophistam denotare videtur¹⁾. Has definitiones omnes Plato a vero aberrare significat, quia id quod maxime essentiam sophisticas exprimat eamque a ceteris omnibus artibus distinguat, nondum assecutae sint: *ἀρ' οὖν ἐννοεῖς*, inquit hospes Eleaticus (232 a), *διὰν ἐπιστήμων τις πολλῶν φαίνεται, μιᾶς δὲ τέχνης ὀνόματι προσαγορεύεται, τὸ φάντασμα τοῦτο ὡς οὐκ ἔσθ' ὕγιες, ἀλλὰ δῆλον ὡς ὁ πάσχων αὐτὸ πρὸς τινα τέχνην οὐ δύναται καταδεῖν ἐκεῖνο αὐτῆς, εἰς δὲ πάντα τὰ μαθήματα ταῦτα βλέπει, διὸ καὶ πολλοῖς ὀνόμασιν ἀνθ' ἑνὸς τὸν ἔχοντα αὐτὰ προσαγορεύει*; Quamobrem ut reperiat id quod vere sophistae naturam constituit, Eleates unum quiddam quod maxime eum denotare videtur, proponit (*Ἐν τί μοι μάλιστα καταφάνη αὐτὸν μνησὼν* 232 b), nempe quod *ἀντιλογικός* est omnibusque de rebus altercatur, quas cunctas vere didicisse non potest, sicut pictor omnia pingit, licet naturam eorum non intelligat: est igitur sophista ut pictor *μιμητῆς δοξαστικός*. Jam disputatio firmum nacta est fundamentum, unde divisio, quae antea vaga errabat, certo itinere ad rei quaesitae notionem accederet: quare primum quidem *τέχνη*, quae etiam nunc summi generis locum retinet, ita dividitur ut perveniatur ad *μιμησιν*, deinde *μιμησις* dividitur, donec sophistae definitio inventa est.

Assecuti autem sumus definitionem quam investigamus, si possumus *τὰ κοινὰ πάντα περιελόντες τὴν οἰκείαν λιπόντες φύσιν ἐπιδειξαι* (Soph. 264 e): qua in re facillime erratur, ut divisio jam ad finem videatur pervenisse priusquam omnes alienae notiones sint exclusae (Polit. 267 d sqq.): ac maxime a similibus notionibus quae facile confunduntur cavendum est, ne nos lateant (Soph. 231 a, Pol. 303 d sq., cf. Phaedr. 262 a). Talis error ubi commissus est, divisio ulterius debet continuari, donec ea quoque, quae fefellerant aciem, secreta sint (Pol. 287 b sqq.).

1) Cf. Bonitz platon. Studien II. Abb. der Wien. Akad. phil. Cl. 1860, p. 310. Bonitzius totum hunc locum tam accurate pertractavit, vix ut quicquam adjiciendum reliquerit.

§. 12. His explicatis sequitur, ut disputemus, quatenus Plato cum de divisionibus ipsis tum de definitionibus per divisiones condendis bene, quae minus recte praecepisse videatur. Ac primum quidem de dichotomiis Platonice quid sentiamus dicendum est. Quae dividendi ratio immerito trichotomiae ceterisque divisionibus a Platone nimio studio videtur esse praelata, cum multa eam admitterent, plurima in se non reciperent: velut homines in mares feminasque dividuntur (Pol. 252 e); nomina si Plato divisisset, his duobus tertium genus adicere debebat: polyedra regularia aut quinque aut, si dividuntur secundum polygona quibus terminantur, tres efficiunt species. Quod autem omnia genera, quae in Sophista et Politico tractantur, in binas species dissecantur, id Plato magna ex parte artificio minime laudando assecutus est: nam cum ejus generis quod dividebat, unam speciem notavisset, reliquas una negativa notione comprehendit (A est aut B aut — B): quoniam autem negatione non significatur, quid illud sit, de quo agitur, haec negativa species nec amplius dividi potest nec dijudicari, utrum revera una sit species an plures, ut dichotomia esse videatur, non sit ¹⁾. Ubi vero Plato non contradictorie opposita dividit, fere nunquam species, quas statuit, totum ambitum notionis divisae comprehendunt: velut si τέχνη est aut ποιητική aut κτητική, quorsus pertinent artes, quae nec componunt quicquam nec sibi comparant, sed quae res compositas aut ordinant aut ne turbentur prohibent, velut ars politica et militaris? Praeterea quas res natura arctissime conjunxit, eas saepe dichotomia non apto principio divisionis utens dissociat, vel eadem res et in hanc et in illam divisionis partem est referenda, ut supra vidimus sophistam non minus ad ἀλλακτικήν quam ad χειρωτικήν, in quas secatur κτητική, pertinere.

Quamobrem mirandum non est, quod Plato inde ab antiquissimis temporibus usque ad nostram aetatem in multorum acerbam

1) Exemplum vide Soph. 224 b, c: ταύτης τοίνυν τῆς μαθηματοποικιλῆς τὸ μὲν περὶ τὰ τῶν ἄλλων τεχνῶν μαθήματα ἐτέρω, τὸ δὲ περὶ τὸ τῆς ἀρετῆς ἄλλω (ὀνόματι) προσρητέον. — Platonem fortasse non fugisset, hanc dividendi rationem esse vitandam, si in Sophista et Politico utramque speciem eidem generi subjectam amplius dividere tentasset: nunc, ubi ad notionem quam quae-rebat deprehendendam alteram modo speciem dividere necesse erat, non animadvertit, talibus locis divisionem impediri.

nec iniustam vituperationem ob hanc dividendi methodum incidit¹⁾: tamen errori eius aliquid recti subesse non est negandum. Quod enim praecipit (Pol. 287 c) *δεῖν εἰς τὸν ἐγγύτητα ὅτι μάλιστα τῆμνειν ἀριθμὸν ἀεὶ*, ut paullatim ab unitate ad multitudinem descendamus nec statim illam in hanc dissolvamus, in eo recte naturam ac finem divisionis perspicere mihi videtur. Nam cum divisio hoc sequatur, ut disponat ambitum notionis dividendae, quem quamdiu inordinatus est animo concipere non possumus (sicut ea quae inordinatum chaos imitantur, difficillime, seriem certo ordine compositam facile perlustramus), debet divisio quam longissime recedere ab incondita multitudine plurium specierum coordinatarum: a qua quo propius abest, eo minus animum indigesta illa atque incomposita mole liberat, quam comprehendere et memoriae mandare nequimus²⁾. Qua ratione per se laudanda quamvis Platonem longius abreptum esse concedamus, ne id quidem obliviscamur, ipsum, ubi dichotomiae locus non datus esset, plura membra facienda concessisse (Pol. 287 c); nec eum fugisse, in propria rei dividendae natura legem quam divisio sequi debet esse positam, quam legem, etsi ipse fortasse neglexit, tamen neglegendam non esse graviter praecipit (Phaedr. 265 e).

§. 13. Quae vero methodus ad nota ordine disponenda usui est, eam Plato dum ad ignota invenienda transfert, nihil sani mihi videtur esse assecutus. Ac jam externa species definitionum hac ratione inventarum est durissima. Sophistica quidem ars definitur (Soph. fin.) *τὸ τῆς ἐναντιολογοποιικῆς ἐρωτικῆς μέρους τῆς δοξαστικῆς μιμητικῆς τοῦ φανταστικῆς γένους ἀπὸ τῆς εἰδωλοποιικῆς οὐ θεῖον ἀλλ' ἀνθρώπικον τῆς ποιήσεως ἀφωρισμένον ἐν λόγοις τὸ θαυματοποιικὸν μόριον*: quae definitio — si quidem molesta haec circumscriptio omnino definitio potest nominari — eandem rem pluries repetit, cum uniuscujusque generis notio in notione speciei subjectae iterum contineatur (*εἰδωλοποιικῆ* latet in *φανταστικῆ*, utrumque in

1) Arist. de part anim. I. 2. 642 b 17 *εἴπερ οὐκ μὴδὲν τῶν ὁμογενῶν διασπασίον, ἢ εἰς δύο διαίρεσις μάταιος ἂν εἴη*. Cf. Whewell philosophy of discovery p. 433, ubi etiam recentiorum conatus Platonicas divisiones imitantes recensentur.

2) Cf. locum Senecae ep. 89,3 laudatum a Drobischio log. p. 144 (ed. 3): quicquid in majus crevit facilius agnoscitur si discessit in partes, quas... innumerabiles esse et parvulas non oportet. Idem enim vitii habet nimia quod nulla divisio.

μιμητικῇ etc.). Sed ad hanc externam definitionis difficultatem graviora vitia accedunt. Admonuimus jam supra, si alicujus rei definitio dividendo investigetur, non certo judicio effici sed opinione arripi, a quo summo genere divisio ad rem quaesitam descendere debeat: raro enim contingit, ut si aliquam notionem ipsam ignoramus, ad quod genus referenda sit sciamus. Facile autem fit, ut eo, quod notio investiganda ad aliquod genus refertur, jam ab initio praecipiantur ac praejudicentur quaestiones, quae non a definitione arbitrario statuta pendent, sed quas invicem optime atque cautissime perpendisse debet, qui ad definitionem condendam est accessurus: velut Plato cum in πολιτικοῦ notionem exquirenda ab ἐπιστήμῃ ordiatur, eo ipso jam dijudicatum vult esse, δῆμον qui accurata doctrina caret, non debere summam rei-publicae tenere (Pol. 292 c): quae quaestio non debet ex definitione politici dirimi, sed ipsa hanc definitionem antecedere.

Eamque ob causam, quod sciri nequit ad quod genus vel ad quam generis speciem res quaedam referenda sit, dum quae sit ipsa ignoratur, etiam Aristoteles Platonicas διαιρέσεις vituperavit¹⁾: appellat autem eas ἀσθενεῖς συλλογισμούς: δὲ μὲν γὰρ δεῖ δεῖξαι, αἰτεῖται. Velut si quis ζῶα diviserit in mortalia et immortalia, hominesque ζῶα esse concessum sit, sequitur, homines esse aut mortales aut immortales: mortales esse non sequitur, sed petitur (αἰτεῖται). Unde definitio quae tali modo existit, maxime dubia est: τέλος, inquit, ὅτι τοῦτ' εἰσιν ἄνθρωπος ἢ ὅτι ποι' ἐν ἧ τὸ ζητούμενον, οὐδὲν λέγουσι σαφὲς ὥστ' ἀναγκαῖον εἶναι.

Sed longius progrediendum est atque dicendum, definitionem quae hac dividendi methodo inveniatur, non modo certam non esse nec dubitatione exemptam, sed ad veram rei definiendae naturam intellegendam nil conferre. Nam qui dividit, significat ille quidem quem locum quaeque notio inter notiones coordinatas et superordinatas teneat; quae autem sit vis ac natura ejus quod hunc locum complet, id nobis non dicit: hoc ipsum autem est, quod scire cupimus; illud, quae genera rem investigatam comprehendant et quae sint reliquae horum generum species, nihil ad nos: atque si quis, ubi propria cujusque notionis conditio et in-

1) Anal. pr. I. 31, cf. Pilger die Athetese des platon. Sophistes, Berl. 1869, p. 6, 7.

doles ignoratur, stemmata notionum describit illisque eas sibi intellegere videtur, inani ludo delectatur.

Nec plane deest nobis ipsius Platonis testimonium, quo recte haec esse reprehensa confirmetur. Nam cum *πολιτικοῦ* notio a ceteris omnibus segregata sit, finem disputationis nondum facit, sed quasi hoc de quo diximus methodi vitium ipse senserit, tanquam de integro incipiens: *τὴν δὴ βασιλικήν*, inquit, *συμπλοκήν, ὡς ἔοικε, λεκτικόν ποτα τ' ἐστὶ καὶ τῶν τρόπων συμπλέκουσα ποῖον ἡμῶν ὑφασμα ἀποδίδωσιν* (Pol. 306a): id quod dici non poterat, si per divisionem non locus quem politica ars inter ceteras artes obtinet, sed ipsa vis ac natura hujus artis esset explicata. Atque omnibus quae antea disputata erant plane sepositis jam denuo Plato alterum initium facit ac docet, quem finem politicus sequatur quibusque artibus ad hunc finem perveniat: unde licet colligere, quam inanem necesse sit definitionem esse, quae meris divisionibus nixa politicum denotat fine ad quem tendit artibusque quibus utitur nondum explicatis.

Haec de definitionis atque divisionis methodis sufficiant: ac quoniam Plato solet eum in disputando ordinem sequi, ut primum definitionem ejus rei de qua agitur constituat, deinde reliqua quae investiganda sunt, quid res valeat, laudandane sit an vituperanda, cetera ejus generis exponat, videamus jam, quomodo philosophus in his tractandis versatus sit.

§ 14. Plato Lysianam declamationem quae in Phaedro exhibetur, ob id vituperat, quod cum de amore agatur non statim ab initio quis sit amor definiatur, quamque ipse huic declamationi opponit orationem, ejus prima verba sunt haec: *περὶ παντός . . . μὴ ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλευέσθαι, εἰδέναι δεῖ περὶ οὗ ἂν ἦ ὁ λόγος ἢ ἄπαντος ἀμαρτάνειν ἀνάγκη*. Quare et haec oratio et quam deinde profert priori contrariam, utraque ab amoris, qui ibi vituperatur hic laudatur, definitione exorditur: *τὸ σαφές καὶ τὸ αὐτὸ αὐτῷ ὁμολογούμενον διὰ ταῦτ' ἔσχεν εἰπεῖν ὁ λόγος* (Phaedr. 265 d). Similiter in Gorgia Polus reprehenditur, quod praestantiam artis rhetoricae laudet, cum natura ejus nondum sit perspecta: hunc esse morem rhetoricum, non dialecticum (448 d, e. 463 c). Rhetores enim, cum definitiones omittant, eo facilius imperitorum animos notionum finitimarum similitudine decipiunt et a vera sententia ad contrariam sensim perducunt (Phaedr. 262 a, b).

Quare dialectica investigatio a notione stabilienda oritur:

velut cum in Lachete quaeratur, quam ratione homines virtutem adipiscantur, Socrates: ἀρ' οὖν τοῦτό γε, inquit, ἵπάρχειν δεῖ, τὸ εἶδέναι ὃ τί ποτ' ἔστιν ἀρετή; εἰ γάρ που μὴδ' ἀρετὴν εἰδῆμεν τὸ παράπαν ὃ τί ποτε τυγχάνοι ὄν, τίς ἂν τρόπον τοῦτου σύμβουλοι γενοίμεθα διαρῶν, ὅπως ἂν ἀπὸ κάλλιστα κτήσαιο; (190 b). Similia exstant Amat. 133 b, Symp. 199 c, 201 e, Soph. 261 c, Meno 86 d. — Et ea res de qua quaeritur, ut initio definiri debet, ita interdum etiam in species suas dividenda est. Velut qui dijudicare vult utrum vita voluptati an cognitioni dedita perfectiore felicitate fruatur, is et voluptatem et cognitionem per genera describat necesse est (Phileb. 12 d—14 c): similiter, ut genuina dicendi ars condatur, et hominum animi et orationes in genera sua dividi debent, ut intellegatur, οἷα οἷσα (ψυχῇ) ἕφ' οἷων λόγων δι' ἣν αἰτίαν ἐξ ἀνάγκης ἢ μὲν πείθεται, ἢ δὲ ἀπειθεῖ (Phaedr. 271 b). Animi igitur genera generibus orationum singula singulis sunt jungenda: a qua ratione non multum abest methodus illa in Theaeteto (p. 192 sq.) adhibita, qua combinando enumerantur variae rationes quibus αἰσθήσεις et γνώσεις inter se componi possunt, ut intellegatur, ubi errori locus detur, ubi non detur: de qua methodo nos ne multi simus hoc loco uberius agere nolumus ¹⁾.

Non tamen plane desunt exempla, Platonem investigare quid alicui rei accidat notione ipsius rei non constituta: quae exempla, cum nonnihil ad Platonis methodum intellegendam conferant, diligentius excussisse haud inutile erit ²⁾.

In primo Reip. libro, cum Thrasymachus dixerit multo esse sapientius et utilius injustitia uti quam justitia, Socrates hac ratione eum refellit. Musicus et medicus, ait, ubi lyra est tendenda aut cibi portionesque praecipiendae, non studet plus valere (πλεονεκτηῖν) altero musico medicove sed homine artis imperito: imperitus autem et perito et imperito plus valere studet. Omnino qui alicujus rei scientiam habet non eum qui ipse quoque eandem scientiam habet sed eum qui non habet, studet antecellere: qui scientiam non habet, non minus eum qui habet quam eum qui non habet, superare conatur. Atqui justus in omnibus rebus plus habere studet

1) Disputavit de ea Dissenius opusc. p. 151 sqq.

2) Ad hos locos sunt qui referant Aristotelica verba Met. XIII. 4. 1078 b 25. Sed quae ibi significatur dialectica, cum in eo versetur, ut de eadem re in utramque partem disputet, magis Aristotelica quam Platonica videtur esse.

injusto, non plus quam alius justus. Injustus contra et justo et injusto plus habere cupit. Justus igitur pertinet ad eos qui scientiam habent, injustus ad eos qui inscitia utuntur: unde colligitur, justitiam injustitia ad vivendum multo esse utiliore. Quae omnia explicantur nulla justitiae definitione praemissa: quare in fine disputationis Socrates ipse temeritatem suam castigat, quod investigaverit, utrum justitia esset ἀμαθία an σοφία, utrum plus an minus prodesset quam injustitia, priusquam justitiae natura innotuerit. Et in sequente libro Glaucō confitetur, sibi quae Socrates disputaverit, nondum esse persuasa: ἐπιθυμῶ γὰρ ἀκοῦσαι, inquit (358 b), *τί τ' ἐστὶν ἐκείτηρον καὶ τίνα δύναμιν ἔχει αὐτὸ καθ' αὐτὸ ἐνδὸν ἐν τῇ ψυχῇ τοῦς δὲ μισθοῦς καὶ τὰ γιγνόμενα ἀπ' αὐτῶν ἕασαι χαλεπῶν*. Videlicet idcirco Socr. rem nondum absolverat, quia ex accidente quodam, quod non naturam sed externas relationes justitiae et injustitiae tangit, argumentum suum petierat¹⁾: quare ut penitus probetur, justitiam injustitia esse praestantiorē, utriusque notio debet explicari: quod in sequentibus libris fit.

Item in extrema parte Phaedonis animam immortalem esse probatur, cum quae sit animae natura disputatum non sit: ubi se res non plane eadem ratione habet atque in loco Reipublicae quem modo tractavimus. Atque haec fere est summa disputationis quatenus ad nostrum propositum eam afferre necessarium est (103 sqq.). Non modo idea ideam contrariam in se recipere non potest, sed ne id quidem quod cum aliqua idea necessario est conjunctum, ideam huic contrariam ferre potest: velut non modo numeri imparitas paritatem non recipit, sed ne ternarius quidem numerus, qui necessario cum imparitate conjunctus est, paritatem fert. Atqui anima necessario cum vita est conjuncta, non patitur igitur mortem vitae contrariam. — Hanc disputationem etsi aequae ac justitiae tractatio, quae est in primo Reip. libro, definitione ejus de quo agitur caret, non tamen Socrates hanc ob rem proposito suo non

1) Similis dubitationis causa est in Cratylo (391 a), ubi quod demonstratum est, *esse φύσει ὀρθότηρα* nominum, Hermogeni idcirco non plane persuadetur, quia nondum scit, *quae sit haec ὀρθότης*. Aristotelice ut loquar, cum *τὸ εἶναι* explicatum sit, hoc nondum sufficit, quia desideratur *τὸ διότι* (anal. post. II. 1. 89 b 29, 8. 93 a 4). Ipse terminus *τὸ διότι* jam apud Platonem legitur Crat. 392 d. 419 d. Doctrina Aristotelis *ὅτι ταῦτ' ὁ εἶδέναι τί ἐστὶ καὶ τὸ εἶδέναι τὸ αἴτιον τοῦ τί ἐστίν*, a Platone non est aliena, cf. Gorg. 464 e, Meno 98 a, b.

satisfacere iudicat, sed si quis illam de ideis sententiam concedat satis stabilitam esse censet (107 b). Vide autem quid inter illum Reipublicae locum et hunc intersit. Ibi ex accidente externo iusti et iniusti argumentum derivabatur (sicut etiam in nonnullis priorum Phaedonis argumentorum quae ob id ipsum non satisfaciunt, ex accidentibus animae), hic etsi non ex ipsa notione animae (ut in Phaedro p. 245), tamen ex qualitate necessario et essentialiter cum ea conjuncta, immortalitas concluditur (anima enim *ἔστι μὲν οὐκ ἐκείνο-vita-ἔχει δὲ τὴν ἐκείνου μορφήν ἀεὶ ὅταν περ ἧ*· 103 e). Quare illa disputatio rem propositam non absolvit, hanc Plato satis validam ad persuadendum iudicat.

Phaedonis autem hic locus memorabilis est ob singularem disserendi rationem quae in hypothesibus ponendis eisque, quae inde consequuntur derivandis versatur. Quam methodum Socrates hoc modo describit (100 a, 101 d sq.): *ὑποθέμενος ἐκάστοτε λόγον ὃν ἂν κρινῶ ἐρρωμενέστατον εἶναι, ἃ μὲν ἂν μοι δοκῆ τούτω συμφωνεῖν, τιθῆμι ὡς ἀληθῆ ὄντα, . . . ἃ δ' ἂν μὴ, ὡς οὐκ ἀληθῆ . . . ἐπειδὴ δὲ ἐκείνης (τῆς ὑποθέσεως) αὐτῆς δεῖσι σε διδόναι λόγον, ὡσαύτως ἂν διδοίης ἄλλην αὖ ὑπόθεσιν ὑποθέμενος, ἣτις τῶν ἄνωθεν βελτίστη φαίνοιο, ἕως ἐπὶ τι ἱκανὸν ἔλθοις*. Ac quae nostro loco instituitur de animae immortalitate disquisitio, ejus *ὑπόθεσις* haec est, ut ideas esse earumque societate suam quasque res naturam adipisci concedatur (102 b), unde concluditur argumentis quae iterum repetere non necesse est, animam esse immortalem: posterior vero hypotheticae methodi pars, quae ipsam hypothesin recte se habere ex altioribus principiis demonstrat, in Phaedone non pertractatur, et expresse Socrates hanc a se omitti monet (107 b: *τὰς ὑποθέσεις τὰς πρώτας καὶ εἰ πισταὶ ὑμῖν εἴσιν, ὅμως ἐπισκεπτέον σαφέστερον*). Alterum hypotheticae methodi exemplum aptissimum exstat in Menone (86 d sqq.) quod etiam posteriorem methodi partem in Phaedone desideratam continet. Disputatur autem, num virtus disci possit, quam quaestionem Socrates virtutis definitione nondum inventa *ἐξ ὑποθέσεως σκοπεῖσθαι* proponit. Sumit enim, virtutem esse *ἐπιστήμην* quandam, unde sequitur eam et doceri et disci posse. Sed jam ipsius *ὑποθέσεως* ratio est reddenda: demonstratur igitur, virtutem scientiam esse si quidem concessum sit eam esse bonum: haec est altior hypothesis quae per se certa est, cum nitatur immediata illa veri conscientia, et ad quam redeundum esse in Phaedone dicitur.

Hanc hypotheticam methodum cum videam viros doctos¹⁾ non satis distinguere ab ea methodo quae in sexto et septimo Reipublicae libro (511 b c. 533 c, d) et in Parmenide proponitur (agetur de ea § 15 sqq.), pauca hac de re addenda sunt. Ac primum quidem apparet, Phaedonis et Menonis methodum a simplici demonstratione, quae ex principio per se certo quae consequuntur derivat, non differre nisi transmutato conclusionum ordine: nam si hypothesin abs qua disputatio orditur appello c, conclusiones quae inde petuntur d, e, altiores hypotheses quibus illa stabilitur a, b, solitus ac vulgaris concludendi ordo est hic: a, b, c, d, e: haec vero methodus procedit per ordinem hunc: c, d, e, b, a, nec quicquam quod illa demonstrandi ratio non perficiat, assequitur: velut in Menone si initio positum esset, virtutem esse bonum, poterat inde recta via eisdemque quas Socrates adhibuit conclusionibus deduci, eam esse *ἐπιστήμην*, inde rursus, eam esse *διδακτὴν*. — Deinde tenendum est, non poni his locis hypotheses altiorum principiorum causa, ut disputatio fundamentum habeat, unde ad haec ascendatur, sed conclusionum causa, ad quas ex hypothesis descendatur, nec *ικανόν* illud, ad quod ultimo loco hypothetica disserendi ratio pervenit, propter se ipsum expetitur, sed ut consequentibus inde fides accedat. Plane contraria via hypothetica methodus quae in Rep. VI, VII et in Parmenide tractatur, hypotheses ponit tanquam *ἐπιβάσεις καὶ ὁρμάς*, unde perveniatur non descendendo ad conclusiones sed ascendendo *μέχρι τοῦ ἀνυποθέτου ἐπὶ τὴν τοῦ παντός ἀρχήν*, i.e. ad ideam boni absolutumque rerum principium. Quod autem in Phaedone appellatur *ικανόν τι* (101 d), id cum hoc *ἀνυποθέτω* confundendum non est: neque enim Plato absolutum sive deum significare poterat *ικανόν τι* adjecto pronomine indefinito. In Menone quidem *ικανόν*, quo recurrit tota demonstratio, est id quod constare dicit Socrates, virtutem esse bonum (87 d *ἄλλο τι ἢ ἀγαθὸν αὐτὸ φάμεν εἶναι τὴν ἀρετήν, καὶ αὕτη ἢ ὑπόθεσις μένει ἡμῖν, ἀγαθὸν αὐτὸ εἶναι*): quare *ικανόν* illud nil aliud est quam aliqua sententia quae disputantibus tam certa videtur, ut ejus demonstrationem non requirant, quam sententiam ad absolutum principium referri minime opus est: velut qui theorema quod angulos cujusque trianguli

1) Velut Zellerum, cf. Phil. d. Gr. II, 1. 393 adn. 1.

duobus rectis aequales esse docet, eo revocavit, quod anguli lineis parallelis adjacentes aequales sunt, is ad *ικανόν* *u* pervenisse dici potest. —

Cap. II. De posteriore artis dialecticae forma.

§. 15. Vereor ne jam dudum inconsideratius agere videamur, quod diversas dialecticas artes, inductionem, paradigmaticam methodum, definitionem, divisionem, hypotheticam methodum explicemus singulasque singulis exemplis illustremus nec quicquam dicamus de uberrimis illis locis quibus Plato et universam complectitur artem dialecticam et per partes distinguit (Rep. VI. VII). Quos locos quod adhuc plane omisimus, consulto fecimus; quae enim his describitur ars dialectica mihi quidem tam diversa videtur esse ab hac quam adhuc consideravimus, ut utraque methodus jure separanda sit: quam rem ex eis quae jam disputabuntur satis manifestam fore spero.

Sexto igitur Reipublicae libro (509 d sqq.) Plato omnes theoreticas facultates et res eis subjectas lineae comparat in duas inaequales portiones dissectae¹⁾: altera pars complectitur *τὸ δρώμενον γένος*, altera *τὸ νοούμενον*. Utraque pars rursus secundum eandem rationem atque tota linea dividitur: illa constat ex imaginibus speculis reperiuntur et ex eis, quorum illae sunt imagines, hominibus, arboribus, ceteris: haec constat ex rebus mathematicis et ex ideis. Singulis rerum generibus singulae ingenii facultates, quibus illa percipiuntur, respondent, quod hac tabula liceat repraesentare²⁾:

1) Jam inter veteres dubitatum esse, utrum scribendum esset *σις ἄνισα τμήματα* (quae lectio codicibus confirmatur) an *σις ἴσα*, ex scholio h. l. intelligitur. Prior lectio et ob sensum multo aptiorem praeferenda videtur, et quia verba quae statim sequuntur, *πάλιν τέμνει ἐκάτερον τὸ τμήμα ἀπὸ τὸν αὐτὸν λόγον*, mirum in modum dicta essent si aequalitas utriusque portionis significaretur.

2) De toto loco conf. Whewell, philosophy of discovery, append. C., p. 440 sqq.

<i>Ὀρώμενον γένος.</i>		<i>Νοούμενον γένος.</i>	
Specula	ipsae res	mathematica	ideae
<i>εἰκασία</i>	<i>πίστις</i>	<i>διάνοια</i>	<i>ἐπιστήμη.</i>

In priorē hujus tabulae parte, quae *ὀρώμενον γένος* complectitur, id mirum videri potest, quod Plato perceptionem speculorum ab ipsarum rerum perceptione, quasi diversa ejus sit natura, separat. Cujus rei causa in sola concinnitate videtur posita esse, ne desit aliquod, quod in priorē parte ad res sensibus objectas ita se habeat, ut in posteriorē parte se habent res mathematicae ad ideas (cf. VII. 534 a): quod non monerem nisi essent qui Platonis verbis relictis *εἰκασίαν* ad singularum rerum aspectum omni cogitatione carentem, *πίστιν* ad experientiam, quae similia conjungit constantesque eorum leges divinat, referentes eandem fere diversitatem inter has partes statuerent, quam Aristoteles initio metaphysicorum inter *αἰσθήσιν* et *ἐμπειρίαν*: quae sententia ab hoc Platonis loco plane aliena est¹⁾.

Sed haec levioris sunt momenti, multo graviora autem, quae de *νοητῶ γένει* et de discrimine *διανόας* et *ἐπιστήμης* traduntur. Mathematica disciplina idcirco multo propius ad veritatem accedit quam sensuum perceptio, quod non de aspectabilibus numeris magnitudinibusque agit, sed de eis quae sola cogitatione assequimur, non de eis quae semper fiunt sed quae sunt (Rep. VII 525 e sqq., cf. Phil. 56 d sqq.). Tamen duabus rebus efficitur, ut mathematica perfecta scientia non sit: utitur enim figuris quae sub oculos cadunt (*ὀρωμένοις εἶδει*) neque id sunt quod significant, et proficiscitur a notionibus, quarum rationem reddere non potest: ponunt

1) Non inutile est conferre qua ratione illi quicumque fuerunt qui libros Archytae tributos conscripserunt, hunc Platonis locum expresserint, cf. Mullach fragm. philos. Graec. I, 566, ubi duae leguntur hujus loci *παραφράσεις* (quae non debebant a Mullachio in unum fragmentum conjungi), quarum altera propius accedit ad ipsa hujus loci verba, altera eam ad Pythagorica placita deterquet.

mathematici pares imparesque numeros, figuras, tria angulorum genera et, quasi haec omnibus satis nota sint, ab his proficiscentes reliqua demonstrant (Rep. VI. 510c): sed *ἢ ἀρχὴ μὲν ὃ μὴ οἶδε, τελευτὴ δὲ καὶ τὰ μεταξὺ ἐξ οὗ μὴ οἶδε συμπέλεκται, τίς μηχανὴ τὴν τοιαύτην δμολογίαν ποτὲ ἐπιστήμην γενέσθαι;* (VII. 533c).

Dialectica vero, etsi ipsa quoque habet hypotheses suas, tamen has non quasi satis jam per se cognitias pro principiis sumit, sed habet eas tanquam *ἐπιβάσεις τε καὶ ὁρμάς· ἵνα (ὃ λόγος) μέχρι τοῦ ἀνυποθέτου ἐπιτήν τοῦ παντός ἀρχὴν ἴων, ἀψάμενος αὐτῆς πάλιν αὖ ἐχόμενος τῶν ἐκείνης ἐχομένων οὕτως ἐπὶ τελευτὴν καταβαίη, αἰσθητῶ παντάπασιν οὐδενὶ προσχωόμενος, ἀλλ' εἶδῃσιν αὐτοῖς δὲ αὐτῶν εἰς αὐτά, καὶ τελευτᾶ εἰς εἶδη* (VII. 511b, c)¹). Hic locus quo nullus summam dialecticae artis, qualis in his de quibus agimus dialogis cernitur, brevius describit, aptissimum fundamentum disputationi nostrae praebet. Ac quid sit *ἀνυπόθετον* et *ἡ τοῦ παντός ἀρχή*, dubitari non potest: significatur enim boni idea quae inter ideas eundem locum tenet, quem sol in mundo sensibili, quaeque, sicut sol lucem ac vitam terrenis oris praebet, ita efficit, ut ideae et sint et cognoscantur. Quales vero sunt *ὑποθέσεις* illae, unde dialectica methodus proficiscitur? In rebus sensibilibus fundamentum methodi positum non esse disertis verbis dicitur (*αἰσθητῶ παντάπασιν οὐδενὶ προσχωόμενος*). Sed videamus num inferiores ideae sint *ἐπιβάσεις* illae et *ὁρμαί*, unde ad summam ideam ascendatur. Quod si ita est, dialectica eandem viam bis percurrit, per easdem ideas ascendens, per easdem rursus inverso ordine descendens, neque, dum recedit, quicquam novi assequitur, quod non jam, cum procedebat, adepta sit: quam inutilem ejusdem viae

1) Similiter VII. 533c. *οὐκοῦν ἡ διαλεκτικὴ μέθοδος μόνη ταύτη πορεύεται, τὰς ὑποθέσεις ἀνάγουσα ἐπ' αὐτὴν τὴν ἀρχὴν ἵνα βεβαιώσῃται.* In codd. legitur *τὰς ὑποθέσεις ἀναιροῦσα*, post quae verba C. Fr. Hermannus commate distinguit, ut interpretandum sit, dialecticam methodum hypotheses tollentem ad principium proficisci ut id muniat. Quod mihi idcirco non recte se habere videtur, quia ars dial. secundum Platonem non tollere debet hypotheses sed eas tanquam *ἐπιβάσεις τε καὶ ὁρμάς* adhibere. Satis autem, si quid video, certum est, objectum verbi quod est *βεβαιώσῃται* intellegendum non esse *τὴν ἀρχήν*, sed *τὰς ὑποθέσεις* (quare ante *ἐπ' αὐτὴν τὴν ἀρχὴν* non debet interpungi), et pro *ἀναιροῦσα* ponendum esse aliquid verbum in quo insit notio referendi: quod potest esse *ἀναφέρειν*, rectius tamen videtur *ἀνάγειν*, quod in cod. Cant. Stobaei hunc locum c'antis invenitur.

repetitionem a Platone commendari difficillimum est ad credendum¹). Itaque equidem mihi persuadeam, locum de quo agimus ita esse intellegendum, ut hypotheses unde cogitatio ad summum principium nititur, non sint inferiores ideae, sed alius cujusdam generis sumptiones, quae summum principium statim per se ipsum nec per inferiora genera ascendentes expetant: quae hypotheses quales sint et quomodo ad principium ab eis ratiocinando perveniatur, e Parmenide discimus, unde enucleatior explicatio ejus methodi, quam nostro loco Socrates nimis breviter adumbravit, petenda est²).

§. 16. Audiamus qua ratione Eleaticorum philosophorum princeps Socrati juveni disputandum esse praecipiat, ut quae hic de ideis protulerat accuratius patefiant et a dubitationibus initio dialogi expositis defendantur. *Χρή δὲ καὶ τόδε, inquit (135 e sqq.)* *ἔτι πρὸς τοῦτω σκοπεῖν, μὴ μόνον εἰ ἔστιν ἕκαστον ὑποτιθέμενον σκοπεῖν τὰ συμβαινόντα ἐκ τῆς ὑποθέσεως, ἀλλὰ καὶ εἰ μὴ ἔστι τὸ αὐτὸ τοῦτο ὑποτιθεσθαι. Ὅλον εἰ βούλει περὶ ταύτης τῆς ὑποθέσεως, ἢν Ζήνων ὑπέθετο, εἰ πολλά ἔστι, τί χρὴ συμβαίνειν. . . . καὶ αὐτὸ, εἰ μὴ ἔστι πολλά, πάλιν σκοπεῖν τί συμβήσεται. . . . Καὶ αὐθις αὐτὸ, εἰ ἔστιν ὁμοιότης ἢ εἰ μὴ ἔστι, τί ἐφ' ἑκατέρας τῆς ὑποθέσεως συμβήσεται. Καὶ περὶ ἀνομοίου ὁ αὐτὸς λόγος, καὶ περὶ κινήσεως καὶ στάσεως. . . . καὶ ἐνὶ λόγῳ, περὶ οὗτου ἂν αἰεὶ ὑποθῆ ὡς ὄντιος καὶ οὐκ ὄντιος καὶ διουῶν ἄλλο πάθος πάσχοντος δεῖ σκοπεῖν τὰ συμβαινόντα πρὸς αὐτὸ καὶ πρὸς ἕκαστον τῶν ἄλλων, ὃ τι ἂν προέλη,*

1) Particulae *πάλιν αὐτὸ* quae leguntur loco citato (*ἀψάματος τῆς ἀρχῆς πάλιν αὐτὸ ἐχόμενος* etc.) non demonstrant, methodum per eandem viam reverti qua profecta erat.

2) Loco modo tractato (511 b, c) comparandus est hic (532 a): *ὅτιαν τις τῶν διαλέγεσθαι ἐπιχειρῆ, ἄνευ πασῶν τῶν αἰσθήσεων διὰ τοῦ λόγου ἐπ' αὐτὸ ὃ ἔστιν ἕκαστον ὁρμᾶ, καὶ εἰ μὴ ἀποσιγῆ πρὶν ἂν αὐτὸ ὃ ἔστιν ἀγαθὸν αὐτῇ νοήσει λάβῃ, τότε δὴ ἐπ' αὐτῶν γίγνεται τῶν τοῦ νοητοῦ τέλει.* His verbis dialecticae methodi ordo paullo aliter describitur atque superiore loco. Exordium fit ab inferioribus ideis quae sine sensuum auxilio sola cogitatione attinguntur. Si quaeris, quomodo id fiat, rursus de hypothetica Parmenidis methodo cogitandum erit, quam non modo ad summum principium sed ad quamvis notionem — velut *στάσις, κίνησις, ὁμοίον, ἀνόμοιον* exponendam adhiberi posse disertis verbis significatur (Parm. 136 b). Tali modo inferioribus ideis constitutis usque ad principium ascenditur: quo cum pervenit methodus finem habet: de descendente via hoc loco nihil dicitur, quo confirmatur quod modo dicebamus, duplicem ejusdem viae repetitionem a Platone alienam videri.

καὶ πρὸς πλεῖον καὶ πρὸς ἑνὸς ὡσαύτως, καὶ τὰ ἄλλα αὐτὸ πρὸς αὐτὰ τε καὶ πρὸς ἄλλο ὃ τι ἂν αἰεὶ προαιρηθῆ, εἴαν τε ὡς ὄν ὑποθῆ ὃ ὑπειθέσο, εἴαν τε ὡς μὴ ὄν.

Haec disputandi ratio si nihil aliud spectaret nisi quid ex quaque hypothesis consequeretur, inanis esset cogitandi lusus, cum nihil de ipsa veritate, quae hypothesis recte posita esset, quae consequentia in rerum natura locum haberent, exploraret: sed certius quiddam est ad quod Parmenidea methodus tendit, nec eristicas nugas sed stabilem veritatis cognitionem illa sequitur: *ἄνευ ταύτης τῆς διὰ πάντων διεξόδου τε καὶ πλάνης ἀδύνατον ἐντυχόντα τῷ ἀληθεῖ νοῦν σχεῖν* (136 e). Consequentium nempe series rursus de ipsius hypothesis veritate iudicium permittit, et ubi perspectum est quid inde nascatur, si quid esse ponitur, quid, si non esse ponitur, apparet simul, utrum id de quo agitur ponendum sit an non ponendum: vel ut exemplo ab ipso Parmenide adhibito utar, ubi positum est unitatem non esse, quae inde consequuntur aut per se absurda sunt aut unitatem quam non esse positum erat, rursus reducunt, unde apparet unitatem non posse concipi ut non existentem. Simili ratione, ubi eadem notio, si eam esse ponimus, diversas conclusionum series diversis modis productas admittere videtur, rejectis eis quae vel rerum naturae vel sibi ipsa manifesto repugnant, patefit, quae conclusionum series veram illius notionis naturam exprimat: velut si unitatem esse positum est ita ut omnes aliae notiones excludantur, sequitur unitatem nec cogitationem nec perceptionem nec nomen admittere et ne *οὐσίας* quidem participem esse: *ἢ δυνατόν οὖν*, inquit Parmenides (142 a), *περὶ τὸ ἐν οὕτως ἔχειν*; — *οὐκὸν δοκεῖ ἔμοιγε*. — Praeferenda igitur est altera concludendi ratio, quae unitatem cogitari, nominari, vivere non vetat.

Accuratius atque certius de Parmenideae methodi ratione et consilio iudicare poterimus, si paullo diligentius rationem, qua Plato ex hypothesis ea quae consequuntur derivat certasque leges quas in hoc disputandi genere observat, intellexerimus. Quo priusquam nos convertamus, consideranda sunt ea quae in Sophista de notionum inter se societate disputantur: nam cum in Parmenide, quid ex quaque hypothesis consequi necesse sit ita inquiratur, ut ea notio de qua agitur cum aliis notionibus — ut *στάσει, κινήσει, ταυτῷ, θατέρῳ, δμοιότητι, ἀνομοιότητι* — componatur et dijudicetur, utrum jungi inter se notiones possint an non, hujus *πραγματείας*

tenebris lux haud inoptata accedit inde, ubi de ratione notionum inter se jungendarum agitur.

§. 17. Errare et qui omnino ullam inter notiones mutuum societatem, ut altera de altera praedicari possit, intercedere negent (ut Antisthenes), et qui omnes notiones cum omnibus sine ullo discrimine jungi posse contendunt (quam sententiam Plato Heraclito tribuisse videtur), a Platone indirecte demonstratur (Soph. 251 e—252 d). Nam si nulla notionum communio ponitur, omnis cogitatio evertitur (259 e), *διὰ γὰρ τὴν ἀλλήλων τῶν εἰδῶν συμπλοκὴν ὁ λόγος γέγονεν ἡμῖν*. Ipsi autem qui sententiam illam defendunt, placito suo repugnant, cum non possint abstinere, ne τὸ εἶναι et τὸ χωρὶς de aliis notionibus praedicent (252 c). Qui vero omnia invicem jungunt, efficiunt, ut quies moveatur et motus quiescat, id quod maxima necessitate prohibetur (252 d). Quare inter utramque sententiam tertia in medio posita restat, alia jungi inter se, alia societatem recusare, alia latius patere et cum pluribus notionibus componi, alia ditione angustiore uti. Omnis autem cogitatio versatur in jungendo et separando (*φάσει et ἀποφάσει*, 263 d): et qui cogitando vel dicendo jungit quae re vera juncta sunt, vere cogitat dicitque, qui secus, falso¹): itaque *μετ' ἐπιστήμης τινὸς ἀναγκαῖον διὰ τῶν λόγων πορεύεσθαι τὸν δρθῶς μέλλοντα δεῖξεν, ποῖα ποιοῖς συμφωνεῖ τῶν γενῶν καὶ ποῖα ἀλλήλα οὐ δεχεται* (253 c).

Qualis sit haec ἐπιστήμη et in quas partes dividatur, dicitur obscurissimo loco (253 d, e)²): *οὐκοῦν ὁ γε τοῦτο δυνατὸς δρᾶν (scil. κατὰ γένη διαιρεῖσθαι) μίαν ἰδέαν διὰ πολλῶν ἐνὸς ἐκάστου κειμένου χωρὶς πάντη διατεταμένην ἰκανῶς διαισθάνεται, καὶ πολλὰς ἑτέρας ἀλλήλων ὑπὸ μιᾶς ἐξωθεν περιεχομένης, καὶ μίαν αὖ δι' ὅλων πολλῶν ἐν ἐνὶ συνημμένην, καὶ πολλὰς χωρὶς πάντη διωρισμένης. τοῦτο δ' ἔστιν, ἢ τε κοινωνεῖν ἕκαστα δύναται καὶ ὅπη μὴ, διακρίνειν κατὰ γένος ἐπίστασθαι*. Dividitur hoc loco mutua notionum inter se ratio in quatuor genera, quorum quod ultimo loco ponitur, nullam praebet difficultatem; spectat enim ad eas ideas quarum altera alteram

1) Soph. 262d sqq. Qua ratione erroris origo psychologica ex αἰσθησεως et λόγον confusione a Platone explicetur, de quo uberrime agitur in Theaeteto, huc non pertinet.

2) Cf. Stallbaumium ad h. l. et prolegg. ad Phileb. LIV, et imprimis Bonitzium, plat. Stud. II. 300, 14.



excludit (*πολλὰς χωρὶς πάντα διαρισμένας*). Priores tres partes pertinent ad communionem, qua ideae inter se junguntur: e quibus tertia (*μίαν δι' ὅλων πολλῶν ἐν ἐνὶ συνημμένῃ*) recte a Bonitzio ad ea quae deinceps sequuntur attendente videtur explicari per societatem, quam unaquaeque notio cum notione identitatis inicit. Identitas enim (*ταυτίον*) singulatim cum singula quaque notione colligata est, cum unaquaeque eadem sit quae est: nec tamen identitas est commune genus, quod cunctas complectitur: est igitur *δι' ὅλων πολλῶν ἐν ἐνὶ συνημμένῃ*, non *πάντη διατεταμένη* aut *ἔξωθεν περιέχουσα*. Difficilius autem est explicare, quid inter primum et secundum genus intersit, quorum illud est *μία ἰδέα διὰ πολλῶν ἐνὸς ἐκάστου κειμένου χωρὶς πάντα διατεταμένη*, hoc vero *πολλὰ ἕτεραι ἀλλήλων ὑπὸ μιᾶς ἔξωθεν περιεχόμεναι*. Quod Bonitzius non quasi certum sed ut conjecturam profert, distingui rationem quae inter genus et species subjectas intercedit, a societate quam quaevis notio habet cum notione *τοῦ εἶναι*, non mihi videtur accipi posse: nihil enim est in Platonis verbis quod ut hanc maxime diversitatem significari credamus ducat, et ipse Bonitzius concedit, alterum membrum non minus altero utramque rationem continere posse. Nec ut nonnullis placuit, e verbis *ἐνὸς ἐκάστου κειμένου χωρὶς* concludi potest, primo loco de individuis dici quae intra speciem, deinde de speciebus quae intra genus versantur, quoniam hoc loco omnino non de individuis, quae in mundo mutationis fluctibus obnoxio posita et a dialectica aliena sunt, sed de solarum notionum communionem agitur. — Quid mihi intercedere videatur inter primam et secundam partem, non sine dubitatione proferam. Differt notionum societas quae ponitur, si quis dicit, canem et equum esse animalia, ab ea, quae inest in hoc iudicio: canis et equus sunt dociles. Notio animalis cum utraque notione et canis et equi jungitur tanquam commune genus, notio docilitatis tanquam commune accidens. Hoc significari videtur priore, illud posteriore loco. Accidens quod compluribus substantiis commune est, dici potest *μία ἰδέα διὰ πολλῶν πάντα διατεταμένη*, sed non potest dici *ἰδέα ἔξωθεν περιέχουσα*; species, quae generi communi subjectae sunt, significantur *πολλὰ ἕτεραι ἀλλήλων ὑπὸ μιᾶς ἔξωθεν περιεχόμεναι*.

Confirmatur haec sententia, si quae deinceps de principalibus quinque notionibus disputantur, comparamus. Ibi (255 e) de idea *θατέρου* dicitur: *διὰ πάντων αὐτὴν φήσομεν εἶναι διεληλυθυῖαν ἐν*

ἕκαστον γὰρ εἶναι ἕτερον τῶν ἄλλων . . . διὰ τὸ μετέχειν τῆς ἰδέας τῆς θατέρου. Verba quae sunt διὰ πάντων διεληλυθυῖα idem valent atque supra πάντη διατεταμένη. Idea θατέρου, quae cum unaquaque notione conjuncta est, dici non potest ἔξωθεν περιέχουσα, neque enim est genus cui reliqua subjecta sint; nec dici potest, ut idea ταύτου, δι' ὧν πολλῶν ἐν ἐνὶ συνημμένη, cum non, ut identitas, unamquamque notionem quasi interno vinculo secum contineat, sed relationem singulae cujusque notionis ad reliquas exprimat. Concinit etiam optime cum nostra hujus loci explicatione, quod aperte inter se opponuntur verba πάντη διατεταμένη et ἐν ἐνὶ συνημμένη (accidentia sive relationes et substantiae identitas) et deinceps ἔξωθεν περιεχομένης et πάντη διωρισμένης (genus quod species complectitur et species quae se invicem excludunt).

§. 18. Jam investigemus, quas leges in notionibus inter se jungendis ac separandis Parmenidea disputatio sequatur. Ac primum quidem quam brevissime enarremus omissis quae supervacua videntur, primam et secundam conclusionum seriem.

Unum si est, inquit Parmenides, id non est multa, itaque partes non habet nec est totum (ὅλον). Neque habet initium, mediam partem, finem: hae enim sunt partes, quae ad id quod unum est pertinere non possunt. Cum initio ac fine careat, est infinitum: non habet figuram, nam neque rectum est neque rotundum, quippe quorum utrumque diversarum partium ordinem significet. Nec in se est neque in alio, nam si in se esset et a se comprehenderetur, non unum esset sed duo: diversum enim est id quod comprehendit ab eo quod comprehenditur. Sin vero in alio esset, multis partibus id in quo est tangeret: quod fieri non potest, cum unum partes non habeat. Itaque cum nec in se nec in alio sit, nusquam sit necesse est. Similiter unum nec moveri nec quiescere concluditur. Unum nec sibi nec ali notioni neque ταύτων est neque ἕτερον. Nam si vel a se diversum esset vel idem quod est aliud, non jam esset unum: sibi autem ταύτων vel ab alio diversum idcirco non est, quia in notione unitatis nec identitatis nec diversitatis notio inest. Demonstratur deinde, unum nec sibi nec ali notioni comparatum aut πρεσβύτερον aut τὴν αὐτὴν ἡλικίαν ἔχον aut νεώτερον esse: quare omnino in tempore non versatur. Itaque ne οὐσίας quidem est particeps, itaque non est unum: cum autem ipsum non sit, neque nomen ejus nec scientia esse potest.

Rursus, si unum est, debet particeps esse οὐσίας: alias non esset. Si igitur ponitur non ἐν ἐν, sed ἐν ὄν, constat id ex duabus partibus, quarum altera est ἐν, altera ὄν: utraque autem pars, cum alteram rursus in se contineat, ipsa quoque ex duabus partibus consistit, et sic in infinitum procedit partitio. Unum autem, cum ex partibus compositum sit, ipsum se complectitur: totum enim partes complectatur necesse est: cum vero totum sit, habet initium, mediam partem, finem, itaque etiam figuram. In se est, cum partes sint in toto: in alio est, cum totum non sit in partibus. Quatenus igitur unum est totum, in alio est, quatenus partes, in se. Cum in se sit, in eodem stat, cum semper in alio sit, movetur. Sibi ipsi est ταυτόν; rursus cum et in se et in alio sit, a se ipso est diversum. Ab aliis diversum est; rursus aliis est ταυτόν. Nam notio diversitatis, cum identitati sit contraria, in eodem inesse non potest: itaque ne in uno quidem inest. Unum igitur ab aliis per diversitatem diversum esse non potest: ac ne per se quidem ab aliis diversum est, si diversitatis particeps non est. Quamobrem cum unum ab aliis non sit diversum, idem est. Omitimus quae sequuntur, quibus demonstratur, unum et sibi et aliis non minus simile quam dissimile esse, et se et alia tangere et non tangere, cetera. Unum et si aliis et si sibi ipsi comparatur, et senius et junius et aequale est et fit: quare temporis particeps est, erat, erit. Cognitio ejus admittitur, si quidem jam disputando cognoscitur; admittitur opinio, perceptio, nomen.

Haec sufficiant ad specimen Parmenideae disputationis exhibendum. Videamus qua ratione conclusiones in thesi et antithesi inter se pugnant effectae sint. Thesis procedit per judicia quae omnia sunt negativa. Nullam autem earum quae afferuntur notionum de unitate praedicari posse, plerumque ita demonstratur, ut unitatem hoc praedicato in multitudinem versum iri probetur: sed non semper hac ratione fit demonstratio: id quod valde est animadvertendum. Nam ut efficiatur, unum ab aliis non esse diversum, dicitur (139 c): οὐχ ἐνὶ προσήκει ἑτέρω τινὸς εἶναι, ἀλλὰ μόνῳ ἑτέρῳ ἑτέρου, ἀλλῶ δὲ οὐθενί τῷ μὲν ἄρα ἐν εἶναι οὐκ ἔσται ἑτερον, ἀλλὰ μὴν, εἰ μὴ τούτῳ. οὐχ ἑαυτῷ ἔσται, εἰ δὲ μὴ αὐτῷ, οὐδὲ αὐτό. Idcirco igitur unum ab aliis non diversum est, quia in unitate non eo ipso quod est unitas, diversitas inest. In thesi igitur, ut demonstretur, aliquam notionem de unitate non praedicari, non necesse est docere, unitatem hoc praedicato everti et in

multitudinem abire, sed sufficit probare, hanc notionem in notione unitatis nondum analytice inesse: ita igitur disputatur, ut syntheticam diversarum notionum societatem, quae in Sophista contra Antisthenis sectatores defenditur, nullam esse sumatur.

Quod plane aliter se habet in antithesi. In qua eadem, quam modo ex thesi posuimus, iterum occurrit sententia, unitatem ab aliis non esse diversam; sed inter hanc et illam ejusdem sententiae demonstrationem intercedit differentia quaedam, quae totum thesis atque antithesis discrimen clarissime illustrat. Disputatur autem in antithesi hac fere ratione (146 d—147 a): Nec diversum in eodem, nec idem in diverso inesse potest, cum notiones *ταύτων* et *ἑτέρων* sibi invicem contrariae sint. Quare nihil est, in quo diversum (i. e. idea diversitatis) per ullum tempus inesse possit: nam si quid esset, diversitas per aliquod tempus *ἐν τῷ αὐτῷ* inesset. Quare ne in unitate quidem inesse potest diversitas, itaque unum ab aliis per diversitatis ideam diversum esse non potest (*οὐκ ἄρα τῷ ἑτέρῳ γ' ἂν εἴη τὸ ἐν τῶν μὴ ἐν οὐδὲ τὰ μὴ ἐν τοῦ ἐνὸς ἑτέρῳ*): nec per se unum ab aliis diversum est, si quidem diversitatis non particeps est. Quare cum nec per diversitatem nec per se diversum sit, omnino non est diversum. — Eadem ratione hoc loco atque in respondente loco ex thesi desumpto ponitur, unitatem per se, quatenus unitas est, non diversam esse ab aliis. Sed cum in thesi simpliciter sumatur, unitatem, si per se non sit diversa, omnino non esse diversam, in antithesi etiam altera conditio examinatur, num unitas, quatenus diversitatis particeps est, per diversitatis ideam differat ab aliis: quod in thesi plane omissum in antithesi ex peculiari diversitatis ratione, quippe quae *ἐν τῷ αὐτῷ* inesse nequeat, expresse refutatur. Quare in antithesi ita res geritur, ut quae cuique notioni attributa dantur, ea illi non solum per se ipsi (propter ipsius naturam) sed etiam propter aliarum notionum societatem ascisci possint. Videlicet, ut ad ea quae in Sophista disputata sunt, haec referamus, thesis accommodata est ad sententiam eorum qui omnem syntheticam inter notiones societatem tollunt; in antithesi haec societas admittitur et alteram ideam de altera praedicari posse sumitur.

Hinc nascitur etiam alia diversitas inter thesin et antithesin, quam eodem quo modo usi sumus exemplo illustrare placet. Et in thesi, sicut vidimus, et in antithesi demonstratur, unitatem ab aliis non esse diversam: sed thesis in negativo hoc iudicio acqui-

escit, antithesis ex negatione positionem elicit concluditque unitatem quoniam nec diversa sit ab aliis nec ut totum sive pars ad alia se habeat, eandem esse atque alia (*ἀλλὰ μὴν ἔφαμεν, τὰ μήτε μόρια μήτε ὅλα μήτε ἑτερα ἀλλήλων τὰ αὐτὰ ἔσεσθαι ἀλλήλοις, . . . φῶμεν ἄρα καὶ τὸ ἐν πρὸς τὰ μὴ ἐν οὕτως ἔχον, τὸ αὐτὸ εἶναι αὐτοῖς.*). Similiter se habent omnes negationes quae in antithesi occurrunt omnesque positivam vim habent: velut ubi dicitur, unum cum se et cum aliis comparatum et senius esse et junius et esse nec senius nec junius, haec negatio (*οὔτε πρεσβύτερον οὔτε νεώτερον*) positionem significat (*πᾶσιν ἄρα τοῖς ἄλλοις τὴν αὐτὴν ἡλικίαν ἴσχει τὸ ἐν, 153 e*), cum in thesi per negationes nihil positivi affirmetur de unitate, sed omnia quae de ea praedicari possunt, excludantur. Quare ea tantum negativa iudicia, quae positivum sensum admittunt, in antithesi statuuntur: quae autem ita comparata sunt, ut solum negent nec quicquam affirmant, omittuntur. Velut dicitur, unum et senius et junius et neutrum esse; non perinde statuitur, unum et stare et moveri et neutrum agere, sed hoc solum ponitur, et stare et moveri (145 e sq.), cum nec stare nec moveri mera sit negatio, quae thesi convenit (139 b), ab antithesi aliena est.

His de diversa thesi et antithesi disputandi ratione explicatis viam nobis munivimus ad exponendum, quid Plato contrariis his conclusionum ordinibus inter se opponendis probare, quid refutare voluerit. Quae in thesi disputantur, eis aliquam Platonicae doctrinae partem directe tradi non est iudicandum: nam, ut supra demonstravimus, conclusiones in thesi prolatae eo nituntur, quod societatem inter diversas notiones non admitti sumitur: atqui ex Sophista constat, Platonem hanc societatem admittere eosque qui eam tollunt vehementer impugnare: itaque quae in thesi de unitate omnia praedicata excludente et ab ipsa *οὐσία* et *ἐπιστήμη* remota disputantur, tanquam absurda et rejicienda commenta¹⁾, non tanquam ad ipsius Platonis doctrinam pertinentia proferantur. Rejicienda igitur est sententia Stallbaumii, qui hanc unitatem ab existentia et cogitatione separatam censuit materiam illam idearum esse, ex qua tanquam potentia Aristoteles nonnullis locis ideas Platonicas strui tradit. In antithesi vero, quae cum eis quae in

1) Respicit fortasse Plato ad tales Eleatarum doctrinas, quales e prima parte libri pseudo-Aristotelici de Xenophane Zenone Gorgia cognoscimus.

Sophista de societate notionum statuta sunt prorsus consentit, non video cur ipsius Platonis doctrinam exponi non credendum sit. Nam quod contraria de unitate praedicantur, inde non sequitur, Platonem haec tanquam incredibilia proferre; praedicantur enim non eadem ratione sed alterum altero sensu (cf. Soph. 259 c, d. Heyder p. 109 sqq.). Accedit quod secundae antinomiae, cujus duae partes, si cum prima comparas, mutato ordine positae sunt, thesis (quae priori antithesi similis est) apertissime ipsius Platonis doctrinam continet, antithesis (priori thesi respondens) sententiam a Platone alienam: ac similiter se habet res in tertia et quarta antinomia.

Non dubito autem, quin unitas illa alias unitates plurimas complectens, quam antithesis omnibus quae cogitari possunt praedicatis exornat, idem logica sive mathematica expressione significet, quod in Republica ethice exprimitur idea boni quae ceterarum idearum origo et vinculum est¹⁾. Huic unitatis notioni illustrandae et erroribus purgandae tota quae in Parmenide exhibetur disputatio servit; quare habemus hic *πορείαν διαλεκτικήν* commemoratam illo Reipublicae loco unde profecta est haec disputatio, quae hypotheses adhibet non tanquam *ἀρχάς* sed tanquam *ἐπιβάσεις καὶ ὁρμάς*, ab eis que *μέχρι τοῦ ἀνυποθέτου ἐπὶ τὴν τοῦ παντός ἀρχήν* ascendit²⁾.

§. 19. Revocemus jam cogitationem ad illud genus disputandi, quod in priore commentationis nostrae parte adumbravimus, et videamus, quod discrimen inter hoc et illud intercedat. Ubi imprimis id est animadvertendum, rationem, quam dialectica Platonis adversus mundum sensibilem tenet, in quo experientia vitaeque usus versatur, plane esse commutatam: illud dialectices genus, cum ab hoc mundo sensibus objecto internisque ejus repugnantibus animum ad id quod semper sibi constat et sola cogita-

1) Platoni enim unitatis principium ac principium boni idem est, sicut — si quidem diserto testimonio in hac re omnino opus est — docet Arist. Met. I, 6. 988 a 14. Tertiam ejusdem significationem praebet Timaeus (29 e), deum bonum et invidiae expertem praedicans.

2) Non nego in Parmenide omnia tam obscura ac dubitationi obnoxia esse ut verear ne etiam in hoc, quod absoluti rerum principii rationem hoc dialogo exponi judicem, certum interpretationis fundamentum relinquere videar: cum vero, quae ad defendendam hanc sententiam necessaria sunt, breviter explicari nequeant, hoc loco abstineo.

tione cognoscitur, perducere conetur, hunc mundum non contemnit, sed quicquid in eo aptum invenitur ad obscuratam memoriam aeternarum specierum renovandam, inde adjumentum sibi comparat. Haec vero de qua nunc agimus dialectica methodus sensibilis mundi atque experientiae plane oblita a notionibus incipit, in notiones desinit, et notionum regnum atque ordinem regnum ordinemque veritatis esse sibi praecipit. Quare juvenibus, quorum animi ad dialecticam artem discendam praeparandi sunt, Plato non id commendat, ut in sensibilibus rerum natura cognoscenda diligenter versentur, quasi ex hac paranda sit materia arti dialecticae, sed hoc potius praecipit, ut mathematicam doctrinam perdiscant, quippe quae animos a sensibus abducat puraeque cogitationi assuefaciat. Et cum Plato in illa descriptione lineae quadrifariae divisae inter *αἰσθησιν* et *ἐπιστήμην* interponat *διάνοιαν*, significat, quam nihil *ἐπιστήμη* ex *αἰσθήσεως* ditione sibi vindicare et in suum usumvertere debeat, ac plane excludit eam quam nos unam sanam judicamus investigandi rationem, quae utrumque connectere et ex *αἰσθήσει* diligenter instituta et cogitationis praeceptis gubernata *ἐπιστήμην* efficere studet.

Conjunctum huic est aliud discrimen inter priorem et posteriorem dialectices formam intercedens. Neque in Phaedone neque in Phaedro nec in ullo dialogo qui ad priorem formam pertinet, Plato de dialectica methodo loquitur quasi de scientia certum quendam orbem complecte et a certis initiis ad certum finem viam praescriptam conficiente, sed dialecticem ponit artem quae quamvis propositam quaestionem interrogando ac respondendo ordine persequatur: in Republica describit eam quasi scientiam certam notionum seriem necessario ordine permeantem; haec est *διαλεκτικὴ πορεία* (VII. 532 b), cujus initium in hypothesibus positum est, unde *ἐπὶ τελευτῆν* (VI. 511 b) definito itinere procedit, intra quos fines tota methodus continetur et absolvitur.

Comparari potest quodam modo ratio quae inter illud et hoc genus dialectices versatur, cum discrimine formalis logicae et dialectices, quae nostra aetate in philosophia locum tenent. Ei enim nostratum philosophorum, qui puram quam dicunt cogitationem propria vi cuncta ex sese procreare contendunt „*αἰσθητῶ πάντας οὐδενὶ προσχρώμενοι ἀλλ' εἶδεν αὐτοῖς δι' αὐτῶν εἰς αὐτά*“, logicen certam notionum seriem a certo initio usque ad constitutum finem permigrare volunt, ut forma cum sua materia necessario sit con-

ijuncta: quod idem cadit in Platonicum disputandi genus quale in Republica describitur, in Parmenide adhibetur. Quae similitudo Platonicae ac recentioris dialecticae procedit usque ad singula artificia et sophismata, quibus efficitur, ut cogitatio ab experientia separata aliquid cogitare ac proficere videatur: cujus rei nonnulla exempla postea nobis occurrent¹⁾.

Si quis autem quaerat, quid causae fuerit, cur Plato priore dialectices forma non contentus novam methodum a sensibili mundo multo remotiorem excogitaverit, in ipso Parmenide nonnulla inesse videntur ad hanc quaestionem idonea. Intellegitur enim ex priore dialogi parte, cogitationem, si a sensuum ditione ad notiones ascendat et v. c. similitudinis ideam ponat ad singulas res respiciens quae propter hujus ideae participationem similes esse dicantur (Parm. 129 a), difficultatibus implicari, quibus solvendis par non est, cum rationem inter res et ideas intercedentem explicare non possit. Itaque laboretur universa de ideis doctrina, nisi, ubi via a sensibili mundo ascendens deficit, alia via inverso itinere summam ideam per se confirmans et ab hac ad inferiores descendens subnasceretur (cf. 135 b—e). — Accedit, quod facillime comprehendi potest, Platonem in eo acquiescere noluisse, ut modo hanc modo illam notionem erroribus purgaret, definirer, divideret, sed systematicis desiderio motum id sectatum esse, ut universum notionum regnum disputando complecteretur — nam ideae Platonis, ut Heyderus ait, sunt *πολιτικά ζῶα* — imprimisque locum, quem summa idea inter ceteras obtinet, accuratius definirer: id quod illa disputandi ratione perfici posse, quam prius amplexus erat, videtur desperavisse. Huc refero non solum, ut modo dictum est, priorem Parmenidis partem, qua diserte significatur, priorem de ideis doctrinam et disputandi genus quo illa erat condita non sufficere,

1) Etiam in eo Platonicam dialecticem recentiori praeludere, quod absolutam contrariorum identitatem ponat — id quod Hegelio in Sophista et Parmenide significari videbatur — satis ab Heydero refutatum est (p. 109 sqq.). Quod tamen Ed. de Hartmann, ceterum Heydero assentiens, hac de re censet (ueb. die dial. Methode p. 7): „schon dem Plato mag hier und da wohl eine Identifizierung Entgegengesetzter im Hegelschen Sinne als fernes Ideal vorgeschwebt haben, weil sie ihn der Mühe der Begriffsberichtigung durch die bequeme Erklärung des Widerspruchs zur Wahrheit überhoben hätte“ — id quamquam re nisis dicat talemque fraudulentam ac sordidam cogitandi inertiam Platoni objicere audeat ignoro.

sed nova *πραγματεια* explendum esse, sed etiam memorabilem Sophistae locum, quo vituperantur *οἱ τῶν εἰδῶν φίλοι* (248 a sq.) — non Megarici sed Platonici priori doctrinae adhaerentes — quod immobiles ideas ponentes in difficultates quas superare non possint incidant: quibus opponitur methodus *κοινωνίαν τῶν γενῶν* tractans, quae quam arcte cum Parmenideo disputandi genere juncta esset supra dictum est.

Haec igitur, ut breviter complectamur, est sententia nostra, Platonem proveciore aetate, quo tempore Sophistam, Parmenidem, Rempublicam (hoc nisi fallor ordine) scripsit, novam condidisse dialecticam methodum, quae cum ceteras ideas tum summam unitatis ideam non ad mundum sensibus subjectum respiciens sed per solas notiones exponeret earumque existentiam quasi ontologico quodam argumento demonstraret: ratio autem quam ideae ad res sensibiles tenent, in logicam relationem *τοῦ ἐνός* et *τῶν ἄλλων* resolvitur.

Ceterum per se patet, etiam posteriore tempore Platonem non semper in hac una versatum esse methodo per meras notiones procedente sed alias quoque investigandi rationes adhibuisse, ubi non de idearum regno atque ordine sed de aliis rebus agendum erat: talia vero genera disputandi pro dialecticis, si quis accurate iudicet, habenda non sunt. Velut in Timaeo, quem post Rempublicam scriptum esse constat, tantum abest, ut disputatio in solis notionibus versetur, ut de nulla alia re quam de sensibilis mundi origine ac natura agatur. At negandum est, omnino in Timaeo Platonem dialectica ratione uti: ipse enim disertis verbis dicit, se hic non philosophari sed de rebus quae accuratam cognitionem non admittant, *τὸν εἰκότα μῦθον* proferre (Tim. 29 b—d). Quod vero ad disputandi genus in Republica adhibitum pertinet, nimis longe id mihi videtur Strümpellius a pura notionum investigatione remove, cum dicit, reipublicae formam quae ibi adumbratur, non e notionibus esse derivatam sed ad vitae usum et experientiam compositam¹⁾.

1) Str. prakt. Phil. d. Griech. I. 353—369. 368: Um es kurz zu sagen, Platos Schrift über den Staat ist von ihrem Verfasser durch und durch praktisch gedacht und gemeint, construiert nirgends weder die Idee selbst noch aus der Idee heraus . . . sondern verzeichnet auf Grundlage allgemeiner Gesichtspunkte . . . unter Anknüpfung an wirkliche Verhältnisse . . . diejenigen Vorschläge, von denen er überzeugt war, dass ihre Befolgung die in seinen Augen verwerfliche politische Constitution des athenischen Staates besser machen würde.

Quae vero affert vir clarissimus, ut Platonis rempublicam quam proxime ad vitae veritatem admoveat, ea mihi non sunt persuasa. Velut ubi dicit, quod Plato summam reipublicae philosophis mandandam censeat, nihil aliud significare, quam si quis admoneat, res civiles non ab inanibus nugatoribus sed a viris peritis nec illiteratis esse administrandas (prakt. Ph. 362 sq.) in eo vehementer mihi videtur errare. Non, ut Strümpellius vult, hoc loco communis illius temporis consuetudo respicienda est, quae philosophi nomen latiore sensu usurpabat: neque enim Isocratem audimus, qui tali modo philosophos dicebat homines cum cetera doctrina tum eloquentia ad gerendam rempublicam aptos, sed Platonem, et Plato haud ambigue significat, quos dicat philosophos, scilicet eos, qui ex obscura caverna, qua ceteri inclusi sunt, ad lucem idearum evaserint nec nisi invitati et necessitate coacti reduci se in tenebras et reipublicae administrationem sibi committi patiantur. Ceterum hujus loci non est, singula argumenta, quibus Strümpellius refutare vult, idealem quam dicunt rempublicam et fictam absolutae perfectionis speciem a Platone statui, accuratius examinare: duos locos Platonis attulisse satis sit, quorum sententia satis perspicua interpretando non debet debilitari: V. 472 e *τι οὖν; οὐ καὶ ἡμεῖς, φαμέν, παράδειγμα ἐποιούμεεν λόγῳ ἀγαθῆς πόλεως; — πάνυ γε — ἥτιόν τι οὖν οἶμι ἡμᾶς εὖ λέγειν τούτου ἕνεκα, εἰ μὴ ἔχωμεν ἀποδείξαι, ὡς δυνατόν οὕτω πόλιν οἰκῆσαι ὡς ἐλέγετο; — οὐ δῆτα, ἔφη. — Cf. IX fin. (Strümp. p. 357 adn.) ἐν πόλει τῇ ἐν λόγοις κειμένῃ· ἐπεὶ γῆς γε οὐδαμοῦ οἶμαι αὐτὴν εἶναι. ἀλλ', ἦν δ' ἐγώ, ἐν οὐρανῷ ἴσως παράδειγμα ἀνάκειται τῷ βουλομένῳ ὁρᾶν.*

§. 20. Sed redeamus unde huc defleximus: restat enim ut paucis explanemus quid Plato doctrina de notionum societate prolata ad verum inveniendum profecisse, quibus disputandi erroribus occasionem praebuisse videatur. Et quamquam optime fecit quod Antistheni omnia dirimenti suam de *κοινωνία* doctrinam opposuit, quae Aristotelicae de judiciis doctrinae praeludit, tamen metaphysice eum doctrinam de judiciis confirmasse dici non potest: nam qualis sit haec *κοινωνία* quam notiones invicem ineunt, et qua ratione fiat, ut quaevis notio non de se sola sed etiam de aliis praedicari possit, non dicit. Jam vero si explicare tentamus quibusnam in fontibus eorum qui latissime in hoc disputandi genere apud Platonem patent errorum origo posita sit, imprimis redeundum erit ad hanc dicendi vel potius cogitandi consuetudinem (quae necessario ex

Platonicae dialectices ratione fluit), quod relationem inter subjectum et praedicatum intercedentem ita exprimere solebat, ut ideam subjecti ideae praedicati participem esse poneret. Inde consequebatur verbi causa, ut secundum Platonem unaquaeque notio in se ipsa non satis virium haberet, ut sibi par, ab aliis diversa esse valeret: sed indiget, ut eadem sit quae est, auxilio notionis identitatis, ut diversa sit ab aliis, auxilio diversitatis (Soph. 255 e: *ἐν ἑκαστῶν ἕτερον εἶναι τῶν ἄλλων οὐ διὰ τὴν αὐτοῦ φύσιν ἀλλὰ διὰ τὸ μετέχειν τῆς ἰδέας τῆς θατέρων*). Si cui ideae igitur idea diversitatis adest, consequitur, ut diversa sit: a qua re autem diversa sit, inde non apparet: et quomodo diversitatis idea alicui ideae superveniens efficiat, ut illa non modo in universum diversa sit, sed diversa sit ab eis ipsis, a quibus revera est, vel cur *ἕτερον* non modo in universum sit *ἕτερον ἕτερον*, sed certae cujusdam rei, ex Platonis sententia non explicari ac ne fingi quidem potest. — Longe luculentissimum autem exemplum confusionum ex eo quem significavimus fonte natarum positum esse puto in eis, quae Plato de non-ente disputat. Non-ens esse (existere) duplici ratione a Platone demonstratur. Alia notio, inquit (Soph. 258 b sqq.), quod non est alia, particeps esse debet ideae *τοῦ μὴ ὄντος*: est igitur *τὸ μὴ ὄν*. — Non-ens est non-ens et quasi *δεσμὸν ἔχει τοῦ μὴ εἶναι τὸ εἶναι μὴ ὄν* (Parm. 162 a): particeps est igitur ideae *τοῦ εἶναι*. Quae sententiae inde proficiscuntur, quod Plato non distincto verbo esse quod copula est ab eo quod existentiam significat, ex copula „*ἐστὶ*“ sive „*οὐκ ἐστὶ*“ ideam *τοῦ ὄντος* sive *τοῦ μὴ ὄντος*, quam esse necesse sit, efficit. Jam si haec sententia, quae *τὸ μὴ ὄν* esse significat, nihil aliud portenderet quam quod commemoravimus, unamquamque notionem non id esse quod est alia notio, vel id quod non est non esse, sub expressione satis mira pervulgaris latet sensus: sed Plato hos fines transgreditur et *τὸ μὴ ὄν*, cum semel demonstraverit id quodammodo existentiae particeps esse, statim multo latiore sensu quam quo demonstraverat pro ente sumit. Ens dixerat non esse (scil. non esse non-ens), non-ens esse (scil. esse non-ens): jam ut effici possit, ut non-ens sit et ens non sit, ponit mutationem sive motum inter ens et non-ens intercedentem (Parm. 162 c) et ex commenticia identitate entis et non-entis, similiter ut in recentiore dialectica fit, elicit motum quasi hujus identitatis vinculum.

Ubi vero duae ideae ita inter se sunt conjunctae, ut utraque

similiter de altera praedicetur nec distinguatur, utra alterius particeps sit, sed utriusque dignitas alteri par sit, ibi novorum errorum occasio datur. Nam cum utraque sit substantia per se exstans, haec conjunctio in quam utraque pari jure intrat, a Platone ita tractatur, quasi sit compositio duorum elementorum, quae in elementa unde conflata est, rursus dissolvi possit. Ita fit verbi causa, ut quod in capite primae antithesis positum est $\delta\upsilon$ $\delta\upsilon$, in quo similiter unum de ente atque ens de uno praedicatur, ex duabus partibus compositum esse dicatur, quarum altera est $\delta\upsilon$, altera $\epsilon\upsilon$: earumque rursus utraque eodem modo in binas partes dissecatur et sic in infinitum. Quo artificio cum Plato ex unitatis existentia sive existentis unitate elicuerit, ex partibus eam esse compositam, cetera quae in antithesi unitati tribuuntur, facili negotio ex $\delta\lambda\epsilon\upsilon$ et $\mu\epsilon\sigma\omega\tau\epsilon\upsilon$ prout necessarium est sive identitate seu diversitate derivantur.

Nec solum quodcumque de aliqua idea praedicatur, a Platone ipsam quoque in ideam vertitur, quacum illam societate jungi dicit, sed etiam saepe, si qua notio cum praedicati notione ita connexa est, ut hujus cogitatione illius quoque memoria suscitetur, etiam illam de subjecto praedicat. Velut in tertia Parmenidis antinomia (161 d), cum inde quod $\tau\alpha$ $\acute{\alpha}\lambda\lambda\alpha$ unitati paria esse nequeunt, conclusum sit, imparia esse, deinde paritas quae modo rejecta erat, hoc artificio rursus reducitur. Ad imparitatem, inquit, pertinent magnitudo et parvitas: quare $\tau\alpha$ $\acute{\alpha}\lambda\lambda\alpha$ cum unitate comparata, et majora et minora sunt. Inter majus et minus autem intercedit paritas: quare in quo inest magnitudo et parvitas, inest etiam paritas: $\tau\alpha$ $\acute{\alpha}\lambda\lambda\alpha$ igitur unitati paria. Omitto falso inde quod alia unitati imparia sunt, concludi et majora et minora esse: hoc concessio animadvertenda est concludendi fallacia, quae inde quod majus et minus sine intercedente pari cogitari non possunt, efficit, etiam paritatem de uno et aliis esse praedicandam¹⁾.

Cum vero universa Parmenidis disputatio in notionibus aut inter se jungendis aut dirimendis versetur, mirandum non est, verba quibus notiones significantur, haud exiguam vim in conclusionibus nectendis sibi vindicare ac non raro totam demonstrationem a verborum usu pendere. „Nam“ ut ait Baco, „credunt

1) Simile ejusdem artificii exemplum vide Parm. 143 d—144 a.

homines rationem suam verbis imperare, sed fit etiam ut verba vim suam super intellectum retorqueant et reflectant¹⁾. Velut ut demonstratur, si unitas ponatur, τὰ ἄλλα ab hac non prorsus separata esse, sed etiamsi non sint unum tamen sub numeri mensuram cadere, Plato plurali numero nititur, quem adhibemus si dicimus τὰ ἄλλα: τὰλλα τοῦ ἑνὸς εἶπερ ἑτερά ἐστιν ἀλλὰ μὴ ἕτερον πλείω ἐστὶν ἑνός· ἕτερον μὲν γὰρ ὄν ἐν ἄν ἦν· ἕτερα δὲ ὄντα πλείω ἑνός ἐστι καὶ πλῆθος ἄν ἔχοι (Parm. 153 a). Similiter Plato, ut unitatem τοῖς ἄλλοις similem esse probet, ita disputat (P. 147 c sqq.): Οὐκοῦν (τὸ ἐν) ἕτερον τῶν ἄλλων ὡσπερ καὶ τὰλλα ἐκείνου καὶ οὔτε μᾶλλον οὔτε ἥττον; . . . "Ὅταν δὴ λέγωμεν ὅτι ἕτερον μὲν τὰλλα τοῦ ἑνός, ἕτερον δὲ τὸ ἐν τῶν ἄλλων, δις τὸ ἕτερον εἰπόντες οὐδὲν τι μᾶλλον ἐπ' ἄλλη ἀλλ' ἐπ' ἐκείνη τῇ φύσει αὐτὸ ἀεὶ λέγομεν, ἥσπερ ἦν τοῦνομα . . . Εἰ ἄρα ἕτερον τῶν ἄλλων τὸ ἐν καὶ τὰλλα τοῦ ἑνός, κατὰ ταῦτ' ἕτερον πεπονθέναι οὐκ ἄλλο ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ἄν πεπονθὸς εἴη τὸ ἐν τοῖς ἄλλοις, τὸ δὲ πού ταῦτ' ὄν πεπονθὸς ὅμοιον. Ex linguae igitur consuetudine, quae utramque duarum rerum inter se diversarum eodem vocabulo ἕτερον nominat, hic Plato similitudinem utriusque rei concludit: quam rationem imitans Hegelius, ut duarum rerum diversarum identitatem probet, linguae latinae usu nititur idem utrique vocabulum (aliud-aliud) tribuentis (Encycl. § 92 Zusatz).

Aliae conclusiones inveniuntur apud Platonem, quae ex eodem verbo diverso sensu usurpato proficiscuntur: velut ex eo quod demonstratum est, unitatem ἐν ἑτέρῳ versari, derivatur, eam moveri, cum pro verbis quae sunt τὸ ἐν ἑτέρῳ ὄν mutato sensu substituitur τὸ ἐν ἑτέρῳ ἀεὶ ὄν: id quod modo hic modo illic est nec unquam eodem loco remanet (Parm. 146 a). Multa praeterea observari possunt de diversis quae in Parmenide inveniuntur generibus sophismatum sive rudiorum sive subtiliorum — velut de eis quae

1) Etiam Plato probe scit, verbis non sine cautione esse confidendum et verendum ne illis res magis obscuretur quam illustretur. Theaet. 177 e μὴ λεγέτω τὸ ὄνομα, ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα ὃ ὀνομαζόμενον θεωρεῖται, cf. Soph. 257 b. Qui verba pronunciat (Theaet. 206 d) εἰς κάτοπτρον ἢ ὕδωρ τὴν δόξαν ἐκτυπύεται εἰς τὴν διὰ τοῦ στόματος ῥοήν; nec imago veritati sed potius veritas et sibi et imagini lucem affundere debet (Crat. 439 b). Quare hospes Eleaticus Socrati juniori: ἄν διαφνιάξῃς, inquit (Pol. 261 e), τὸ μὴ σπουδάζειν ἐπὶ τοῖς ὀνόμασι, πλουσιώτατος εἰς τὸ γῆρας ἀνεφαφήση φρονήσεως.

similitudine a rebus in spatio versantibus ad ideas male translata nituntur, quorum memorabile exemplum exstat Parm. 149 e—150: sed vereor ut aliquid novi inde comparemus ad Platonis methodum intellegendam et aestimandam. Hoc unum gravioris est momenti, quod ex eis quae hac paragrapho disputata sunt, apparere existimo, quantas difficultates condendae de judiciis doctrinae necessario parent ideae Platonis per se exstantes, quarum *κοινωνία* efficiat, ut alicui subjecto aliquod praedicatum tribui possit. — Ac si jam omnibus perpensis aestimare velimus, quid Plato hac investigandi via, quae meris notionibus ad absolutum rerum principium pervenire studet, ad augendam rerum cognitionem attulerit, non inique opinor agemus, si huc transferamus, quod Socrates Callicli dicit: *εὐδαίμων εἶ ὃ Καλλικλείς ὅτι τὰ μεγάλα γε μεμύησαι πρὶν τὰ μικρὰ· ἐγὼ δ' οὐκ ᾔμην θεμιτὸν εἶναι.* —

§ 21. Liceat mihi descriptis Platonicae dialectices methodis hoc loco pauca adjicere duabus de rebus ad intellegendam philosophi nostri doctrinam non praetermittendis.

Ac primum quidem non credendum censeo eis, qui actionem mentis, qua illa cum ad ceteras ideas tum ad summam pervenit, secundum Platonem in immediata quadam intuitione positam esse arbitrantur quae discursivam quae dicitur reflexionem potentia ac dignitate superet¹⁾. Atque quamvis concedamus, Platonis menti sanctam idearum speciem haud aliter obversatam esse atque artificii ideam statuae quam est creaturus, huic tamen non repugnat, doctrinam quam de ideis cognoscendis statuit, eo spectasse, ut is tantum satis firmam atque perfectam idearum cognitionem habere judicandus esset, qui per claras notiones alteram ideam ab altera distinguere earumque rationem etiam aliis reddere posset. Multi autem loci, quibus Plato describit, quomodo ideae cognoscantur, ita sunt comparati, ut intuitionem prorsus excludant, velut quod Socrates in dialectica methodo exponenda: *ἡ καὶ διαλεκτικόν*, inquit (Rep. VII. 534 b), *καλεῖς τὸν λόγον ἐκάστον λαμβάνοντα τῆς οὐσίας; καὶ τὸν μὴ ἔχοντα καθόσον ἂν μὴ ἔχη λόγον αὐτῷ τε καὶ ἄλλῳ*

1) Praeter multos nostrates hujus sententiae patronos nominandus est Guil. Whewell (philos. of discov. 440 sqq., imprimis 448): qui cum in linea illa quadrifariam divisa *διάνοια* dicat esse reflexionem, *νόησις* intuitionem, in quantas difficultates incidat, neminem qui commentationem ejus alias ingeniosam cum Platonis loco comparat, poterit fugere.

διδόναι, κατὰ τοσοῦτον νοῦν περὶ τούτου σὲ φήσεις ἔχειν; ¹⁾ Quod expressis verbis etiam ad summi principii cognitionem transferatur, quasi Plato veritus sit, ne in summo principio aliud cognitionis genus admittere videretur: οὐκοῦν καὶ περὶ τοῦ ἀγαθοῦ ὡσαύτως· ὅς ἂν μὴ ἔχη διορίσασθαι τῷ λόγῳ ἀπὸ τῶν ἄλλων πάντων ἀφελῶν τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν καὶ ὡσπερ ἐν μάχῃ διὰ πάντων ἐλέγχων διεξιῶν . . . ἐν πᾶσι τούτοις ἀπικῶν τῷ λόγῳ διαπορεύεται, . . . οὐτε αὐτὸ τὸ ἀγαθὸν οὐδὲν φήσεις εἶδέναι τὸν οὕτως ἔχοντα οὔτε ἄλλο ἀγαθὸν οὐδὲν; ²⁾ Quibus apertissime significari mihi videtur, cogitandi rationem quae a Platone ad idearum veritatem cognoscendam dialectico commendatur, nullam aliam esse praeter eam quae in notionibus discursivis versatur. Neque si de methodo ab hypothese ad summam ideam ascendente recte disputavimus, apparet ubinam in Platonicae doctrinae compage praeter discursivum cogitandi genus intuitioni locus detur. Nam qualis sit unitas in summo rerum fastigio posita, in Parmenide vel maxime conclusionibus nectendis investigatur, non immediata rationis actione arripitur: atque ubi summae ideae perspicendae scientia discursiva per esse iudicatur, multo minus ad cognitionem ceterarum idearum intuitionem intellectualem advocare necesse est. Intuita est mens, ut clarissimo Phaedri loco describitur, loco supercoelari τὴν ἀχρῶματον καὶ ἀσχημάτιστον καὶ ἀνεσθὴ οὐσίαν, sed in hac terrestri vita eam non intuemur, et ut memoriam beatissimi illius conspectus recuperemus, data nobis est ratiocinandi atque concludendi facultas, non facultas intuitionis cogitandi legibus potentioris.


Minime autem sententiae nostrae repugnat, quod Plato saepe ubi mentem ideas cognoscere dicit, verbis qualia sunt *θεῶσθαι* et *καθορᾶν* utitur (velut in Convivio, ubi Diotima mentem repentino impetu pulchri ideam aspicere dicit): quae non excludunt cognitionem ratiocinando procedentem ac facillime terminorum usu nondum certis legibus distincto etiam ad id quod concludendo cognoscitur transferri possunt. Ejiciamus igitur ex Platonis doctrina intuitionem intellectualem, quae in philosophia ejus qualem ex

1) Hac in re Platonici Socrates non recedit a Xenophonteo, cf. Memor. IV, 6. 1. Σωκράτης γὰρ τοὺς εἰδότες τί ἕκαστον εἶη τῶν ὄντων ἐνόμιζε καὶ τοῖς ἄλλοις ἂν ἐξηγεῖσθαι δύνασθαι.

2) Similiter Soph. 234 a ὁ φιλόσοφος τῇ τοῦ ὄντος ἀεὶ διὰ λογισμῶν προσκείμενος ἰδέα.

ipsius philosophi nostri libris cognoscimus, nullum locum tenuit: de postrema ejus doctrina ad Pythagorica placita accedente, cujus reliquiae ex Aristotele ejusque commentatoribus nobis notae sunt, nihil affirmo ¹⁾. —

Alterum quod hac paragrapho tractandum nobis proposuimus, pertinet ad ordinem quo ideae a summa incipientes a Platone dispositae esse videntur. Reminiscamur ejus loci, de quo supra uberius disputatum est, Rep. VI. 511b, ubi dicitur: *μέχρι τοῦ ἀνυποθέτου ἐπὶ τὴν τοῦ παντός ἀρχὴν ἰῶν* (scil. ὁ λόγος) *ἀψάμενος αὐτῆς πάλιν αὖ ἐχόμενης τῶν ἐκείνης ἐχουένων οὕτως ἐπὶ τελευτὴν καταβαίνει*. Ac quomodo Plato ab hypothesisibus ad principium ascendendum esse judicaret vidimus: de altera dialectici itineris parte, quae a principio per inferiora usque ad finem descendit, non habebamus quod dici posset, quoniam Plato hunc dialectices locum in ideis ordine ac ratione ex unitatis principio derivandis occupatum scriptis suis non persecutus est, nec, qua ratione id temptare potuerit, vaticinandum nobis est. Sunt autem qui certius de hac re edocti sciunt ordinem omnes ideas a summa ad infimas complectentem secundum Platonem per solam divisionem procedere, ut summum genus sequantur genera huic subjecta, deinde horum species, deinde specierum species et sic usque ad finem, ita ut idearum quasi stemma hac ratione dispositum existat:



Totum autem artis dialecticae munus, si his credendum est, in eo consistit, ut prius per scalas notionum ab infimis usque ad fastigium ascendatur, deinde rursus eisdem scalis descendatur: quo nihil cogitari potest jejunius. Sed nusquam a Platone dicitur,

1) Arist. de an. I, 2. 404 a 22 *νοῦς μὲν τὸ ἓν, ἐπιστήμη δὲ τὰ δύο, . . . τὸν δὲ τοῦ ἐπιπέδου ἀριθμὸν δόξαν, αἴσθησις δὲ τὸν τοῦ στερεοῦ*. Utrum hic *νοῦς* ab *ἐπιστήμη* distinguatur ut in Republica (VI. 511d) *ρόσις* a *διανοία*, an *νοῦς* significet intuitionem, *ἐπιστήμη* reflexionem, discernere non audeo, quoniam testimonia nimis rara et obscura de ultima Platonis doctrina non certo iudicio ac vix conjecturae locum dent.

notionum ordinem per divisionum et subdivisionum continuum systema et quasi stemma deduci: ac si quis in quinque illis notionibus principalibus quae in Sophista enumerantur experimentum facere velit, intellet ne eas quidem hoc modo disponi posse. Nam quod illarum primo loco ponitur τὸ ὄν ceteras complectitur: huic subjectae sunt et στάσις ac κινήσις, et rursus ταῦτόν ac θάτερον: neque vero ταῦτόν et θάτερον aut στάσει aut κινήσει (sive invicem) ut species subjici possunt. Junguntur quidem στάσις et κινήσις cum ταῦτόν et θάτερον, sed divisio continuo ordine procedens inter has notiones constitui nequit¹⁾. Quare qui ideas Platonis in simplicem divisionis figuram revocare volunt, varietatem rationum, quibus illae multifariam inter se et junguntur et separantur, non videntur mihi assequi. —

Cap. III. Quid valeat dial. ars ad rerum cognitionem augendam.

§. 22. Jam dialecticam Platonis artem et universam et partes ejus persecuti, cum passim in describendis singulis Platonis methodis dixerimus, quibus quaeque vitiis laborare quibusque erroribus occasionem dare nobis videretur (cf. §§. 3, 4, 6, 12 sq., 19), nunc ita universam disputandi rationem a Platone adhibitam examinandam nobis proponimus, ut gravissima ejus placita et quae ad naturam et quae ad mores pertinent breviter perlustrantes ab eis sententiis, in quibus dialectica methodus nullum exercuit mo-

1) Quod Plato Soph. 253 d dividendi methodo descripta addit, qui hoc facere sciat, eum quatuor illas dialecticas rationes (cf. §. 17) intellegere, non sunt haec verba premenda, quasi doceat, divisione ceteras omnes jungendi ac separandi rationes contineri nec quicquam novi ad illam afferre (sic Zellerus II, 1. 390 adn. 1 injuria, opinor, Heyderum vituperans): quod si Plato significaret, repugnaret eis quae syntheticam quoque notionum societatem apertissime exposculant, 251 a etc., eisque quibus statim quatuor jungendi ac separandi genera describit, se ipsum refutaret.

mentum quarumque origo aliis e fontibus derivanda est, separemus eas, in quibus condendis singularis dialectices ratio aliquo modo locum obtinuit: atque his recensendis intellegetur, ad quas quaestiones solvendas ars dialectica perducere valeat ad quasque regiones illa innatis vitiis sibi ipsa quodam modo aditum obstruxerit.

Commune autem habet Platonis philosophia cum plerisque aliis philosophandi conatibus desiderium, in mutationibus fluctuantibus, quae inconstantiae speciem undique nobis offerunt, certum aliquid atque constans inveniendi, quod omni mutationi exemptum idem quod est semper fuerit semperque futurum sit: nam nisi tale aliquid in fundamento eorum quae mutantur positum esse statuitur, intra fluctus rerum temere nascentium, temere rursus pereuntium firmæ scientiæ locus dari nequit. Hoc desiderium idem locum tenet apud physicos Jonios (ne Heraclito quidem excepto), idem apud Democritum, idem apud Eleatas et Anaxagoram: sed unusquisque alia ratione, quidnam esset hoc constans atque immutabile rerum fundamentum, expedit. Plato vero, cum „divideret *γένεσιν* Heracliti *ὀνότα* Parmenidis“, id eas in principio rerum collocavit in eisque solutionem difficultatum, quas sensibilis mundus offert, contineri existimavit. Potest autem ratio, quam ideae Platonis ad res sensibiles tenent, compluribus modis exprimi, quorum unusquisque peculiarem Platonice doctrinae proprietatem significat. Sunt enim ideae rebus sensibilibus oppositae primum ut immutabilia mutabilibus, deinde ut perfecta mendosis, denique ut generalia singularibus. Ac primam quidem earum quas enumeravimus notarum, immutabilis constantiae, ideis non propter dialecticae methodi peculiarem rationem sed propter desiderium hoc de quo diximus, quod ut constans atque aeternum rerum fundamentum ponatur efflagitat, tributam esse patet: ne secundae quidem, quae in perfectione vitiosae singularum rerum conditioni opposita versatur, fons in dialectica methodo positus est, sed potius invicem ipsa, ut supra vidimus (§. 5) ad conformandam disputandi rationem momentum attulit. Tertiam vero notam quam ideis tribuendam esse diximus, quod sensibilibus rebus ut generalia singularibus oppositae sunt, ejus origo non potest aliunde repeti nisi ex momento quod dialectica methodus in condenda Platonis doctrina sibi vindicavit: quia enim generalem notionem v. c. albi vel duri nihil continere vidit, quod ab albi durique essentia alienum esset, persuasit sibi, id quod cogitamus, ubi generalem illam notionem animo

proponimus, in rerum natura vere extans quasi exemplar esse, quod singulae res albae ac durae imitentur.

Talem cum viam dialectica sequeretur, ut ad id quod vere est perveniret, in generales notiones intentam singulas res cum fastidio quodam abiecit eaque, quae his propria sunt nec notionibus comprehendi possunt, statim ab initio a se removit: quo factum est ut de plurimis quorum ratio reddenda est, dialectica ne quaerere quidem posset. Exemplum repetamus a simplici quadam qualitate (cf. Rep. VII. 524 a, b). Quae generali caloris natura comprehenduntur, ea dialectica ars idea caloris complectitur: at nulla res simpliciter est calida, sed certo quaeque caloris gradu certa quae mensura utitur. Dialectica vero ars generalem caloris naturam solam vere esse iudicat, diversos autem gradus, quippe qui non minus frigus quam calorem in se contineant, a veritate abesse censet. Qui igitur ex varia caloris mensura, prout major illa an minor est, varii consequuntur effectus certae legi obtemperantes, ad eos investigandos exprimendamque normam, secundum quam certa caloris intensitas certam effectus magnitudinem producit, dialectica nullam habet viam.

Similiter dialectica certum rerum fundamentum investigans statim ab initio omnia quae ad mutationes, actiones, eventus pertinent, missa facit: nempe ob hoc ipsum quia mutationes ut temerariae certoque ordine carentes firmae cognitioni locum non dare videbantur, confugerat a rebus quae alio tempore aliae fiunt ad notiones quae semper eadem sunt. Sed cum semel dialectica eis quae ad motus eventusque pertinent quasi civitatem in regno veritatis eripuisset, consequabatur, ut, quae illa vere et absolute esse praecipiebat, ne minimam quidem ansam praeberent ad mutationes, quae in hoc mundo in quo vivimus fiunt, et ad actiones quae geruntur explicandas: desunt enim dialecticae Platonis omnes formae ad mutationes eventusque tractandos aptae: deest notio causae aliquem effectum producentis, deest notio legis quae et naturam et magnitudinem ejus effectus determinat atque ita efficit, ne in eis quae mutantur temeraria perturbatio regnare videatur. Vituperat autem Plato conatus rudes illos quidem physicorum et Anaxagorae, qui explicare studebant, ex quibus causis mutationes quae fiunt nascerentur, eamque rationem solam aptam censet ad rerum naturam explicandam, unde patefiat, cur optimum sit, quamque rem ita se habere ut habet: *ἐκάστω δ' ἀποδίδόντα τὴν αἰτίαν καὶ*

κοινή πᾶσι, τὸ ἐκάστῳ βέλτιστον . . . καὶ τὸ κοινὸν πᾶσιν ἐπεκδηγείσθαι ἀγαθόν (Phaedo 98a). Qui aliter investiget et rerum conditionem ex materia ejusque motibus ac mutationibus derivare conetur, eum dicit similiter rem gerere ac si quis interrogatus, cur Socrates in lectulo sederet non consilium ejus, cur optimum videretur indicaret, sed ex ossium et nervorum conditione derivaret, quomodo cruribus femoribusque incurvatis corpus ejus in sedendi statum redigeretur, Quod simile tum demum quadraret, si consilia, quae νοῦς divinus sequitur, tam clare oculis nostris proposita essent, quam consilia Socratis, quae hunc impellunt ut modo stet modo considat; et tum quoque dignum esset quod sciretur, quibusnam artibus rationibusque voluntatem suam perficeret: interim explicandi ratio modestior illa ac remissior ex philosophia non erit excludenda, quae ex efficientibus causis effectus derivat.

Quod vero negavimus habere Platonis dialecticam quod ad mutationes explicandas conferre valeat, non videtur Plato eo quod posteriore tempore ideis κίνησιν tribuit, viam ingressus esse, quae ad hanc inopiam explendam perduxerit: nam primum quidem repugnat haec κίνησις immutabili constantiae, quam ideis tribuerat et de qua quicquam remittere nolebat: deinde ne tentavit quidem ex motu quem inter ideas esse supposuit, motus et eventus qui in sensibili mundo locum tenent explicare horumque leges ad constantiam motus inter ideas intercedentis adnectere: atqui ubi talis deductio abest, nihil facit ad singulos singularum rerum motus explicandos, qui harum rerum ideis κίνησιν nescio quam tribuit.

Haud aliter igitur dialectica methodus rem gerit ac si quis naturalium rerum scientiam complecti vellet generibus ac speciebus animalium, plantarum, lapidum definiendis ac dividendis nec investigaret, quibus legibus eventus qui in natura accidunt regerentur quibusque artibus natura ipsas illas species, in quibus enumerandis hic omnem operam ponit, procrearet.

Unde igitur nata est immutabilis illa constantia, qua notiones fruuntur et propter quam Platoni aptae visae sunt, quae in rerum capite et fundamento ponerentur? Eam ob causam notiones mutatione vacant, quia cogitatio nostra omnia quae ad mutabilem conditionem pertinent ab eis separavit: idcirco magnitudo quam notione comprehendimus nec major unquam nec minor fit, quia omnino nullam certam mensuram quae augeri minuive possit, ei tribuimus. Ubi vero in eis quae tali cogitationis actione nata sunt,

veram rerum substantiam cernere nobis videtur, removemus ex veritate rerum mutationem vitamque, et quam adepti sumus immutabilem constantiam, eam ipsi creavimus.

Praebet autem Plato duo exempla unde intellegi potest, quales evadere necesse sit singulas naturalium rerum disciplinas, si ad Platonicae dialectices leges accommodentur: opponit enim in septimo Reip. libro (529 sqq.) vulgari astronomiae et harmonicae eam quae vere sit astronomia vereque harmonice ad firmam rationem in animis excitandam apta. Cui enim astronomiae homines operam dare soleant sursum hiantes, eam deorsum animi aciem trahere, cum non circa ea quae cogitatione noscuntur sed circa spectabilia versetur. Veram autem astronomiam spectare *φοράς*, quas τὸ ὄν τάχος καὶ ἡ οὐρα βραδύτης ἐν τῷ ἀληθινῷ ἀριθμῷ καὶ πᾶσι τοῖς ἀληθεῖσι σχήμασι φέρεται Τα δ' ἐν τῷ οὐρανῷ ἐάσομεν εἰ μέλλομεν ὄντως ἀστρονομίας μεταλαμβάνοντες χρήσιμον τὸ φύσει φρόνιμον ἐν τῇ ψυχῇ ἐξ ἀχρηστοῦ ποιήσῃν. Similiter reprehenduntur, qui harmonicen doctrinam excolentes eos sonos qui auribus percipiuntur inter se comparent et ratione auribus posthabita litigent, num inter minima intervalla etiam soni intercedentes audiri possint: quibus omnibus posthabitis ac relictis veram harmonicen non sonorum sed numerorum ipsam *ἁρμονίαν* considerare.

Haud facile autem quisquam, opinor, dixerit, quam sibi Plato praeceperit speciem scientiae quae consideraret rationes, quas ideae celeritatis et tarditatis secundum intelligibiles numeros tenent: illud certum est, ad rerum cognitionem promovendam nihil conferre talia fictarum doctrinarum simulacra, quae licet excelsitate quadam non careant, ad veritatem propius non adducunt.

§. 23. Cum vero fons, ex quo dialectica notiones suas haurit, non sit accurata naturae observatio, sed interna animi conscientia, apparet, ibi tantum dialecticam methodum aliquid proficere posse, ubi quae sunt explicanda jam in humano animo latent: quod cum non eveniat in naturalium rerum scientia, optime contingit in morali disciplina. Quaeque supra vidimus obstare, quominus dialectica ars ad cognitionem eorum quae in natura fiunt perveniat, ea ubi de ethicis quaestionibus agitur, in censum venire non possunt: neque enim hic motionum atque eventuum ratio est reddenda, sed de constantibus normis agitur quas hominum iudicium in eis quae probanda sunt et eis quae improbanda sequitur: ideae igitur sunt describendae omnes perfectionis numeros continentes,

ad quas refertur iudicium morale actionum et voluntatum dignitatem aestimans. Hae non ut physicae qualitates majorem minoremve gradum ac mensuram admittunt, sed id quod sunt plene atque perfecte sunt: quod plane congruit cum dialectices ratione quae non diversos gradus qualitatum agnoscit — nam quod magis minusve calidum est, aequè frigus quàm calorem in se continet — sed omnem certam mensuram a qualitibus arcens absolute eas considerat. Quam ob causam jam Herbartius istis dialectices principiis nihil magis aptum exstruendae morum disciplinae cogitari posse dixit.

Ut perveniatur igitur ad cognitionem moralium illarum notionum virtutum bonorumque (nam tertiam quae in morali philosophia locum tenere solet officii notionem Stoici demum adjecerunt), audiendum est conscientiae iudicium de eis quae virtutis ac boni speciem prae se ferunt, utrum contineant perfectionem quae propter se ipsam excitet probantem mentis vocem, an habeant simulacrum talis perfectionis, a vera tamen virtutis natura admixtis alienis recedant. Atque id Platonem summa arte assecutum esse quis neget, ut conscientiae iudicium de eis quae considerantur sincerum excitaretur, vel, ubi erroribus id depravatum est, ut adnecteretur disquisitio ad ea quae veri vestigia conservarunt, et dum his vestigiis insisteretur, abjicerentur aliena quae veram animi vocem obruerant? Exemplum ut afferamus, vide quomodo Polus, qui summam beatitudinem ponebat in licentia ejus, qui injuriam afferre valeret cui vellet, ipse vero a quavis injuria tutus esset, a Socrate ad veriore beatitudinis cognitionem vocaretur. Dixerat ille (Gorg. 474 sqq.) *κακίον εἶναι τὸ ἀδικεῖσθαι τοῦ ἀδικεῖν*: sed utrum *αἰσχίον* est? *αἰσχίον* certe *τὸ ἀδικεῖν*: nec usque eo obmutuit Poli conscientia, ut injuriam inferre pulchrius esse diceret quam injuriam pati. Jam quod cum alia re comparatum *αἰσχίον* existimatur, illam aut *λύπη* antecellit aut *κακῶ*: tertia vero causa cur quidquam turpius appelletur, cogitari non potest: itaque *τὸ ἀδικεῖν*, quoniam non dolore quodam *τὸ ἀδικεῖσθαι* superat, nullam aliam ob causam turpius dici potest, quam quia nocet animumque corrumpit et perdit: miser igitur injustus eoque miserior aegrotò, quo funestius est, animo uti gravissimis malis corrupto quam corpore.

Similiter ubi virtutum definitiones investigantur, cavet dialectica ars, ne externa species, quae per se nullam habet dignitatem, pro ipsa virtute accipiatur, ne *ἡσυχιότης* aestimetur temperantia, ne


καριερα fortitudinis specie fallat (Charm. 159, Lach. 192). Quae vero dialectica examinatis eis quae speciem virtutis sive boni prae se ferunt separatisque quae aliena sunt nec per se probans conscientiae iudicium merentur, retinet ad veram dignitatem moralem pertinentia, ea redeunt ad ideam concordiae sive concinentiae: id quod bonum est, versatur in ideis *κάλλους, συμμετρίας, ἀληθείας* (Phileb. 65 a, cf. Gorg. 504): hic est ad cuius normam humana vita dirigi debet *κόσμος ἀσώματος ἄρξων καλῶς ἐμψύχου σώματος*. Ac si idea *κόσμου* et *συμφωνίας* ad tres animae partes quas Plato statuit transfertur, inde derivatur doctrina de quatuor principalibus virtutibus, quae ex concordia partium illarum inter se existunt (Rep. IV. 442 sq.).


Desiderantur certe multa ad describendas morales ideas necessaria quae Platonis dialectica nondum perfecit: formali enim notioni harmoniae et *κόσμου* danda est concreta materia dicendumque, secundum quos numeros contentus ille perficiatur: vel si virtus secundum id elementum quod in harmonia illa principem locum tenet, appellatur *ἐπιστήμη*, dicendum est, cuius rei sit *ἐπιστήμη*. Atque ipse Plato, quid deesset, significavit, cum quaerens quid haec *ἐπιστήμη* contineret eam in *ἐπιστήμην ἐπιστήμης* abire fecit, qua via si pergimus, in progressum infinitum deducimur, materiam vero ejus *ἐπιστήμης* non invenimus (Charm. 166 sq., cf. Euthyd. 292 d). Haec quamvis ars dialectica ad finem non perduxisset, viam tamen aperuit ad investigandas describendasque ideas, quas iudicium morale in aestimandis hominum actionibus sequitur.

Sed nonne ita dialectica moralem Platonis philosophiam a recta investigandi via abduxit, ut ideas in rerum principio collocans ad earumque similitudinem vitam dirigi iubens finem humanae vitae non eo contineri existimaret, ut beatitudine — non humili illa sed generosa et excelsa — fruamur, sed ut exprimamus speciem quandam alicujus ideae, cuius decus neminem laetiozem reddat, ut vitam impendamus spectaculo exhibendo, quod nemo spectet et quo nemo delectetur? Ab hoc errore mihi moralis philosophia Platonis abesse videtur: necessario enim cum perfectione ideae similitudinem exprimente veram plenamque beatitudinem conjunctam esse praecipit. Vitam quidem cognitioni deditam, quae omni laetitia careat et ne a cognoscendo quidem ullum gaudium percipiat, Plato ad summum humanae vitae finem accedere negat

(Phileb. 21e): quae proposita sunt duo exemplaria bene maleque vivendi, eorum alterum est τοῦ θεοῦ εὐδαιμονεστάτου, alterum τοῦ ἀθεοῦ ἀθλιωτάτου (Theaet. 176d): quare qui nititur ut deo similis fiat, non abjicit beatitudinem, sed summam nobilissimamque sibi parat. Neque idcirco justitiam ac sapientiam colimus, ut idearum species vita nostra exprimatur — neque enim ideae nostro officio egent —, sed idcirco (Rep. X fin.). ἵνα καὶ ἡμῖν αὐτοῖς φίλοι ᾶμεν καὶ τοῖς θεοῖς αὐτοῦ τε μένοντες ἐνθάδε καὶ ἐπειδὴν τὰ ἀθλα τῆς δικαιοσύνης κομιζώμεθα, ὥσπερ οἱ νικηφόροι περιαγειρόμενοι, καὶ ἐνθάδε καὶ ἐν τῇ χιλιετῇ πορείᾳ ἦν διεληλύθαμεν εὖ πράττωμεν.

REESE LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF
CALIFORNIA





RETURN CIRCULATION DEPARTMENT
TO → 202 Main Library

LOAN PERIOD 1	2	3
HOME USE		
4	5	6

ALL BOOKS MAY BE RECALLED AFTER 7 DAYS

3 month loans may be renewed by calling 642-3405
Items may be recharged by bringing the books to the Circulation Desk
Renewals and recharges may be made 4 days prior to due date

DUE AS STAMPED BELOW

DEC 29 1988

REC. CIR. OCT 2 1988

YE 03465

56035

B395

'05

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

